

DISPUTATIO SOLENNIS
DE
JURE CIRCA
FRUMENTUM

Præcipuè
DE
Fructibus & Frumento in genere,
deque curâ rei Annonariæ & prohibitâ frumenti ex-
portatione &c.

Qvam
DIVINA FAVENTE CLEMENTIA,
Ex Decreto Magnifici Jctorum Ordinis
PRÆSIDE

DN. JOH. FRIDER. RHETIO

Jcto & Antecesore Famigeratissimo, Serenissimo Ele-
ctori Brandenburgico à Consilis, Facultatis Juridicæ Ordi-
nario, ac Decret. & Jur. Publ. Prof. Publ. Celeberrimo,
DN. Patrono, Præceptore ac Promotore suo maximè
Venerando,

PRO LICENTIA

SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES AC PRIVILEGIA DOCTO-
RALIA RITE CONSEQUENDI,

CHRISTIANUS THOMASIUS, Lipsiensis,

Philosoph. Mag.

Ad d. XVIII. Octobr. An. 1678. Horis ante & pomeridianis,

FRANCOFURTI & LIPSIAE,
Apud JEREMIAM Schrey / & HENRICUM JOH. MEYERUM.
R. Vol. II. Disp. XX.

MAY 21 1923

DISSERTATIONIS

De

JURE CIRCA FRUMENTUM.

Prefamen.

Cogitanti mihi, de materia, quam loco Disputationis Inauguralis pro licentiâ Summos in Jure capessendi honores elaborarem, quæque non ubivis obvia, nec ab aliis jam explicata esset, commodè se obtulit præfens de Jure circa frumentum, quæ & utilitate pariter ac jucunditate suâ & accedente postea eorum, quorum nutus imperii loco mihi semper futurus est, suâsu, ultrò se mihi commendavit. Sed dum ex variis autoribus, quæ mihi ad hanc tractationem usui futura essent colligo (quâ in re, ne aliquid dissimulem, pro eo, quo in me propensus est affectu plusquam paterno, Patronus meus atq; affinis honoratissimus, Amplisf. & Consultisf. DN. JOHANNES FRIDERICUS FALCKNERUS, Serenisf. Elect. Saxon. Consiliarius ac Reip. Lipsiensis Proconsul & Syndicus celeberrimus, Bibliothecâ suâ instructissimâ, fidelissimè me adjuvit) subito tanta collectaneorum excrevit copia, ut facillè viderem, intrâ Disputationis unius cancellos eorum extensionem includi haud posse. Quapropter mutavi consilium, & quamprimum unâ Disputatione absolvere statueram, materiam, aliquot Dissertationibus exhibere jam constitui. Accipe itaq; B. L. priores earum duas, ac reliquarum elaborationem à me in Academiam patriam feliciter reverso quam proximè expecta.

CAPUT I.

De

Fructibus & Frumento in genere, dequè Juris in hoc loco significatu.

SUMMARIA.

Frumentum fructuum species. n.1.	Glans & fructus quomodo differant. n.7.
Fructus quid? n.2.	
An eorum nomine veniant usurae? num. 3.	Glans quid propriè sit. n.8.
	Utilitas duplex. n.9.
Fructuum homonymia. n.4. Etymologia. n.5. & Synonymia. n.6.	Fructus intelliguntur deductis expensis n.10. Impensa quales intelligi.

4 CAPUT I. DE FRUCT. ET FRUM. IN GENERE.

- telligantur. n. 11. Limitationes
 due ad hanc regulam. n. 12.
- Fructuum nomine veniunt imma-
 turi, arundo, palea. n. 13. An &
 nix? n. 14. Affirm. n. 15. & 19. Obj.
 n. 16. Respond. n. 17. Nivi vectigal
 impositum. num. 18. Nix est fru-
 ctus Feudi. n. 19.**
- Fructus 1. vel naturales, vel indu-
 striales, vel civiles. n. 20. Divi-
 sionis hujus fundamentum. n. 21
 Civiles qui? n. 22. Naturales &
 industriales. n. 23. In his iudicis
 arbitrium quandoque interce-
 dit. n. 24. Fructus arborei an
 naturales an industriales? n.
 25. Quinam fructus pro indu-
 strialibus habendi? relativè.
 n. 26.**
- Fructus 2. vel extantes, vel con-
 sumti. n. 27. Fundamentum di-
 visionis. n. 28. An fructus ven-
 diti habeantur pro extantibus,
 si venditor pecuniam inde ac-
 ceptam adhuc possideat. Affirm.
 Tusch. n. 29. per l. 72. ff. de leg. 2.
 n. 30. Sed hæc potius probat ne-
 gativam. n. 31. Dist. inter retineri
 in patrimonio & converti in pa-
 trimonium. n. 32. Explicatur. l.
 70. § ult. ff. de leg. 2. n. 33. 34. 35.**
- Fructus 3. vel pendentes vel percepti
 n. 36. Pendentes sunt pars fundi.
 n. 37. habentur pro immobilibus
 n. 38. dicuntur etiam percipien-
 di n. 39. differunt à percipiendis
 in alio sensu n. 40. & à futuris.
 n. 41. dividuntur in maturos &
 immaturos. n. 42.**
- Percepti dicuntur quamprimum à
 solo separati sunt. n. 43. Exami-
 natur dissentientium opinio n.
 44. 45. 46. 47. Ante separatio-
 nem an pro perceptis habeantur
 n. 48. Fructus civiles quinam
 percepti dicantur? n. 49.**
- Fructus 4. sunt vel aridi, vel liqui-
 di. n. 50.**
- Fructus 5. Terrestres vel nascuntur
 infra terram. num. 51. vel supra
 eam, aut ex arboribus & c. aut
 ex semine n. 52. qui in specie fru-
 ges appellantur. n. 53. Frugum
 differentia à fructibus arboreis
 ex mente Salmasti n. 54. 55. 56.
 57. & Pauli J. C. n. 58. ubi ex-
 plicatur l. 77. ff. de V. S. n. 59.
 60. 61.**
- Frugum duæ species: frumenta &
 legumina. Quomodo ea inter
 se differant? n. 62. Confusè pro-
 cedunt Plinius & Columella
 n. 63. & 64. Examinantur opi-
 niones Columelle. n. 65. 66. 67.
 Servii. n. 68. Varronis. n. 69. 70.
 Pauli in d. l. 77. n. 71. Gæddai &
 aliorum. n. 72. & 73. Explicatur
 loci duo Ciceronis & Plinii n.
 74. 75. 76. 77. 78. Deciditur quæ-
 stio i. de Leguminibus n. 79. quo-
 rum**

- rum species n. 30. ubi notatur Gæddæus n. 81. n. 2. De frumento n. 82. Cujus contentum est granum n. 83. continens vel arista, vel aliud vasculum n. 84. 85.
- Frumenti Etymologia, Synonymia. n. 86. & Homonymia. n. 87. Ubi notatur Accursius. n. 88. Definitio. n. 89. Species 1. Triticum cujus tria genera. n. 90. malè intellecta à Menochio & Rebuffo n. 91. 92. 2. Hordeum. 3. Secale. 4. Zea. n. 93. 5. Avena quæ duplex. n. 94. 6. Mollium, & 7. Panicum. n. 95. (Respond. Objectionibus Gæddæi. n. 96. Explicatur. l. 27. §. 19. ad L. Aquil. n. 97. Auctoritas Jtorum quanta sit in rebus Philosophicis. n. 98. Mos peruersus seculi moderni. n. 99.) 8. Oryza. 9. Papaver. 10. Sesama. n. 100.
1. Agranorum varietate n. 101. dividitur frumentum in duas species. n. 102. 2. Ex consuetudine in durius & mollius. n. 103. ubi explicantur Colerus & Coppen. n. 104. 105. Ratione bonitatis in vile bonum & optimum. n. 106. Quidnam frumentum optimum? n. 107.
- Causa efficiens frumenti natura terræ & industria humana. n. 108. Quis primus hominum frumenti autor? n. 109. Sententia Ethnicorum. n. 110. Materia ex quâ frumenti, & in quâ. n. 111.
- Forma essentialis generica. n. 112. Frumenta in arboribus nota. n. 113. Pluit frumento. n. 114.
- Forma specifica. n. 115. Finis frumenti communis. n. 116. (Explicatur l. 28 §. 1. ff. de usuris. n. 117. 118) vel proprius. n. 119. Ex leguminibus panis non solet confici. n. 120. Explicatur locus Ezech. IV. vers. 9. n. 121. Et Apuleii ubi notatur Stuckius. n. 122.
- Juris vox quomodo hic accipitur. n. 123. Quid hic jus CIRCA frumentum. n. 124. seqq.
- Methodus totius dissertationis. n. ult.

DE Jure circa frumentum acturis ante omnia, ne in limine impingamus, quid frumentum sit, quidque nobis eo nomine hic veniat dispiciendum erit. Ac in eo quidem, ut puto omnes conveniunt, frumentum non infimam fructuum speciem constituere, quorum natura cum variis tricis obnoxia sit, non inconvenienter fortè procedam, si propositâ brevissimis, quantum ad præsens opus erit, fructuum essentia, ad frumentum postea, tanquam à genere

2. ad speciem descendero. Fructus propriè dicuntur utilitates omnes, qui ex re aliquà percipiuntur, Chassan. *Consuet. Burgund. f. m. 692.*
3. sive à naturà eà proveniant, sive ex hominum impositione. Nam fructuum nomine rectè quoque veniunt usuræ. *l. 88. §. fin. ad L. Falcid. l. 62. ff. de R. V. pensiones, mercedes, & vecturæ jumentorum. d. l. 62. l. 55. ff. de cond. indeb. l. 39. §. 1. ff. de leg. 1. l. 8. §. 1. §. 2. ff. de reb. aut. jud. poss. Chassan. d. l. Speidel. in Notabil. sub voce Nuzungen. Conf. infr. n. 15. Dissentit post alios Besold. in Thesaur. pract. sub voce Früchten/ per l. 28. §. 1. ff. de usuris.* Quamvis verò hic significatus fructuum paulò laxior sit,
4. minimè tamen pro improprio habendus erit, tum quod in jure nostro. *arg. d. d. l. l. receptus sit,* tum quod vocis origini maximè sit accommodus.
5. Sive enim à fruendo eos appellatos dixeris, sive à ferendo, utroq; modo hæc derivatio fructibus ex impositione humanà inventis applicari poterit. Nam & illis æque licebit frui, atque iis, quæ ex ipsius rei natura proveniunt, & res, cujus occasione percipiuntur, æquè illos suo sensu atque hos ferre, dici potest. Nec vocem facilè fructibus correspondentem, quæque suâ latitudine ea, quæ fructuum vocabulo comprehenduntur, complectatur, reperies. Quamvis enim glandis nomen, latius esse appareat, aut ad minimum fructibus æquipollens, quippe cujus appellatione omnis fructus continetur *l. 1. §. 1. ff. de gland. leg. l. 236. §. 1. ff. de V. S.* at cuilibet tamen dictos textus curatius inspicienti, patebit per fructum omnem arboreum tantum, qui scilicet ex unius agro in alterum cadit. *d. l. 1. pr. de gland. legend.* quique Græcè ἀγρόδερον dicitur *d. l. 236. ff. de V. S.* ibi denotari. Confer. Calvin. in *Lexico sub voce Glans.* Ut taceam glandem in strictâ & propriâ acceptione, certarum tantum arborum fructus, qui putamen aut testam habent, nec ponè eas cadunt, si arbores moveantur, sed excuti debent, indigere. *Gerb. Job. Feltman. de inclus. animal. c. 48. §. 21.*
9. Dixi in descriptione *n. 2.* Fructus 1. esse *Utilitates.* Cum verò post lapsum sine labore & industriâ nostrâ atq; impensis ferè ex nullâ re aliquid commodi percipere liceat, inde utilitas quævis consideratur vel absolutè absq; respectu ad incommoda, quibus ad eam consequendam defungimur, vel cum relatione ad labores & expensas, quas pro eâ sustinimus, in quo postremo significato *utile* in specie *lucri* nomine denotari solet. Hinc quæritur: Fructus an primo an secundo sensu utili-
- 10.

utilitates dicantur? Sive, uti communiter hæc quæstio effertur: Fructus an intelligantur deductis expensis vel non? Prius, & quod expensæ ab iis deducendæ sint, omninò asseritur per. *l. 7. pr. ff. solut. matrim. l. 1. C. de fructib. l. 36. §. fin. ff. de her. petit.* adeò ut nullus casus intervenire possit, qui hoc genus deductionis impediatur. *l. 51. ff. fam. erisc.* (Per impensas 11. autem intellige eas, quæ quærendorum, fructuum conservandorumve gratiâ factæ sunt. *d. l. 36. §. ult. & d. l. 7. pr. Carpz. Part. 3. const. 32. def. 12. n. 5.*) Varias tamen limitationes huic regulæ addiderunt Tuschus. *Pract. 12. Concl. 501. sub lit. F. & Arism. Tapat. tit. 278. cap. 2.* quas in præsentem examinare nostra non interest. Illud certum, exceptiones ab eâ duas in jure reperiri: Unam in *l. 34. §. 1. ff. de usufr.*, ex quâ Dd. colligunt, fallere dictam regulam in dispositione hominis, in quâ, si reperiantur fructus extantes vel pendentes, eos intelligi non deductis expensis. *Brunn. ad d. l. 34. §. 1. n. 4.* Alteram in *l. ult. C. de fund. rei priv.* ubi is, qui contra leges fundum rei privatæ emit, & pretium, & expensas inter alia amittit, vid. *Cujac. ad t. C. si secund. nups. mul. Tom. 5. op. posthum. f. m. 497. d.*

Dixi 2. Utilitates omnes, cujuscunqve sc. generis sint, tam respectu 13. originis, de quo vid. *n. 2. & 3.* quàm respectu quantitatis. Quamcunq; enim utilitatem res aliqua præbeat, etiamsi ea minima sit, fructuum appellatione continebitur. Sic fructus immaturi *l. 48. §. 1. ff. de usufr. arundo l. 40. §. 4. ff. de contrab. emt. & palca l. 13. ff. quib. mod. 14. usufr. amittatur* sub fructibus in jure continentur. Sed an & nix, quæ de cælo cadit inter fructus computanda? Sanè nec hæc utilitatem magnam præbere, nec verè fructus esse, sed tantum concurrere ad producendos fructus videtur. Non in eleganter ad hanc quæstionem juxta leges provinciæ suæ responderet Alphonsus Guzmán. *Jctus Hispanus. tr. de evict. qu. 21. n. 48. f. m. 117.* *Quod in fructu*, inquit, *ex-* 15. *perientiâ constat quod ex venditione nivis vectigal solvatur, testibus Bobadilla* in suâ Politicâ tom. 2. lib. 1. cap. 4. n. 9. *Girondâ de Gabellis* 7. part. §. 2. c. 4. n. 13. *Parlad.* lib. 1. rer. quotid. cap. 3 §. 2. n. 14. & 15. *Secundò quia quicquid ex re, & propter rem ad nos pervenit, fructus dicitur.* l. idem si fundi 10. ff. de usufr. & in l. usufr. legato. ff. eod. & in l. uxori meæ 37. ff. eod. l. loci corpus. §. in confessoria ff. si serv. vindic. *Uti commoditas & interesse fructus loco habentur & venationes & aucupia etiam in fructu sunt.* l. item si fundi. §. aucup. ff. de Usufr. Ergo à simili quod
nix

- nix sit in fructu ex quo ex eâ percipitur redditus & maximum compen-
 16. dium affert. Neque obstat, quod nix non sit verè fructus, sed parit fru-
 ctum & ideò loco fructus est, cum non nascatur è terrâ & solo, sed de cœlo
 17. fluit, ergo non est fructus. Cui respondetur, quod licet ipsa nix non sit fru-
 ctus naturalis, tamen ipsa coacervata & conservata in puteis, quia ex eâ
 compendium exigitur, poterit rectè nuncupari fructus industrialis, cum
 industriâ hominis nix conservetur & portetur de uno loco ad alium ad
 delectationem & gustum, imò ad salutem sit necessaria & multas infir-
 18. mitates evitandas. Tandem hodiè videmus, nivem non posse coacervari
 & colligi sine permissione principis, & in eâ sunt redditus maximi ejusdem
 principis scilicet vectigalis & quinta partis nivis conservate in puteis,
 ut possit dici, jam nivem esse de patrimonio principis, sicut de salinis di-
 citur, quæ ex aquâ veniunt & in quam convertuntur & inter patrimonia
 19. principis computantur: Jamque deinceps quod nix sit fructus non erit
 ambigendum teste Nicolao Antonio Gizarello decis. Neap. 34. per totam
 ubi concludit senatus, nivis redditus esse computandos inter redditus
 feudi & esse nivem fructum feudi.

20. Dividuntur fructus ita latè accepti 1. ratione causæ efficientis in
 naturales, industriales, & civiles. Quæ divisio communi Dd. sententiâ
 approbata, quamvis à variis impugnetur, quos recenset Joh. del Castillo
 Sotomayor. lib. 1. quotid. Controv. cap. 36. n. 55. item Menoch. de arbitr.
 jud. quest. lib. 2. casu 210. haud tamen suo destituitur fundamento.
 21. Etsi enim in primo mundi exordio fructuum omnium una tantùm
 species fuerit, cum omnes à Deo solo ipsius verbo sine culturâ cujusq;
 aut curâ, suâ spontè à terra producerentur, Sotomayor d. l. n. 57. 58. lapsu
 tamen hominis mox subsecuto in pœnam à justissimo pœccati vindice
 constitutum est, ut nullum ferè amplius commodum ex creaturis in
 ipsius usum procreatis sine propriâ industriâ vindicare sibi posset. Gen.
 22. 3. v. 17. 18. Hinc in fructibus rerum percipiendis vel sola hominis cura
 laborat sine naturali adjumento rei, qui fructus civiles appellantur,
 quosque sub voce fructuum propriè venire jam supra n. 3. 4. 5. ostensum
 fuit, vel industria humana in iis producendis cum rei, ex quâ sumun-
 23. tur, naturâ concurrat. Atque in his vel natura prævalet industriam,
 vel illa ab hâc superatur; Unde, cum à potiori fieri soleat denomina-
 23. tio, si illud contingat, naturales, si hoc, industriales dicuntur fructus.

Non

Non tamen hisce præsuppositis si ad hypothefin progrediaris, expeditum statim est, quinam inter industriales referendi sint. Etsi enim illud in confesso sit, fructus pecudum ad naturales fructus spectare, quoniam in his industria hominis exiguam planè navat operam, è contrario frumentum inter industriales esse connumerandum *l. 45. ff. de usuris*, cum in eo industria naturam longè antecedit vid. infra n. 108. sunt tamen quidam fructus, in quibus producendis ob circumstantiarum varietatem jam natura, jam humana industria principem sibi locum vindicare videtur, in quibus determinandis arbitrium judicis maximè locum habebit Menoch. *d. l. n. 20. Carpz. Part. III. C. 32. D. 24. n. 12.* Sic quamvis indistinctè in *d. l. 45. ff. de usuris* fructus arborei naturalibus adscribi videantur, non ineptè tamen fructus arborum primos industrialibus annumerare posses legemque dictam ad fructus ultiores restringere. Ab initio enim hominis opera major est, dum per aliquot annos frustra eam colere, donec è furculo justa arbor enascatur, maximà curà cogitur. Postea vero & cum arbor semel ad fructus producendos idonea facta est, nihil aut certè parum æstimamus illam industriam, quam in iis adhibemus. vid. Oldenb. *de 4. Elem. Jurid. p. m. 579. §. 71. Bachov. ad §. 27. Inst. de R. D. p. m. 294.* De cætero quinam fructus pro industrialibus communiter habeantur latius exponit Menoch. *d. l. n. 21. seqq.*

Dividuntur 2. fructus in extantes & consumptos *l. 22. §. 2. ff. de pign. act.* Illi sunt, qui adhuc præsentés in suâ naturâ apud dominum aut possessorem supersunt; Hi vero, qui penes possessorem amplius non reperiuntur, vel quod in rerum naturâ esse desierint propter absorptionem, vel quod à possessore legitimo modo alienati sint. Sic frumentum, quamdiu apud bonæ fidei possessorem deprehenditur, ad extantes, quam primum verò v. g. emtori soluto pretio traditum, & si apud emtorem adhuc in suâ substantiâ perduret, ad consumptos spectat, ut adeò hæc divisio fructuum non absoluta sit, & ex naturâ rei desumpta, sed respectiva, quoniam respectus personarum fructus possidentium hic habetur. vid. omnino M. Aurel. Galvanus *de usufr. cap. 28. p. m. 358. seqq.* Sed quid si fructus venditi sint, pecuniaque inde accepta adhuc penes venditorem extet, dicentur adhuc isti fructus respectu venditoris extantes? Ita cum aliis sentit Tuschus. *pract. Conclus.*

- cluf. 492 sub lit. F.* ubi dicit: quando fructus *converſi ſint in patrimonio*, & iis locupletior factus ſim, tunc eos præſumi extare per. *l. 72. ff.*
30. *de Leg. 2.* Qvi quidem textus valdè Tuſchi ſententiam firmare videtur: Exprefſè enim ibi aſeritur: *quod non abſumatur illud, quod in corpore Patrimonii retinetur*, ex eoqve infer Jctus, in *l. 70. ibid.* quod heres, ſi pecuniam, quæ ex hereditate SUPERERIT reſtituere juſſus fuerit, ex propriâ pecuniâ fidei commiſſum ſolvere teneatur, ſi ex pecuniâ hereditariâ creditoribus propriis ſatisfecerit. Propriam enim in hereditariâ locum ſucceſſiſſe tunc videri atqve aded pecuniam hereditariam, quamvis *alienatam* adhuc tamen ſuperſeſſe & extare
31. fingi. Verum ſi penitiuſ legem iſtam inſpicias, nequaquam illud quod in quæſtione erat, exinde probatur, ſed potiuſ contrariam opinionem firmiuſ eadem corroboraſ. Fructuſ enim venditi in corpore patrimonii non retinentur, alienati quippe ſunt, & conſequenter argumento dictæ
32. legis erunt conſumpti. Aliud nimirum eſt: *In patrimonio retineri*, quod præſupponit rem aliquam juxta eſſentiam ſuam in bonis meis permanere, de quo loquitur *d. l. 72.* Aliud: *In patrimonium converti*, quod tranſlatam rei alienatæ æſtimationem in bona alienantiſ loco rei denotaſ, de quo Tuſchi & diſſentientium reliquorum antitheſiſ con-
33. cepta eſt. Neque obſtat huic diſtinctioni, quod dicta regula *l. 72.* ad caſum, quo res alienata per aliam repræſentatur à Jcto accommodetur, atqve aded illud, *quod in patrimonium convertitur in corpore patrimonii quoq; retineatur*, ac propterea hæc duo fruſtra à ſe diſtincta
34. fuiſſe videantur. Etenim hic probè inter res univerſales & ſingulareſ diſtingvendum eſt. In ſingularibuſ, cum diverſa ſit omnium natura & eſſentia, una alteram repræſentare nequit, ſed ſi una earum alienata ſit, pro conſumptâ habetur. At in univerſalibuſ res ſingulæ, quæ ſub ipſiſ continentur non ſejuñctim, ſed in uno quaſi cumulo ſpectantur, & inde quamvis una ſingularum intereat, aut in ipſiuſ locum alia ſuccedat, eadem tamen adhuc res iſta univerſaliſ dicitur exemplo collegii aut populi, qui poſt centum aut ulterioſ annos idem adhuc eſſe præſumitur. Cum itaqve hereditaſ quoqve (de quâ *l. 70.* verba facit) rerum univerſalium complexu comprehendatur, & aliâſ augmenta & decrementa recipiat; quid mirum, quod Jctuſ dicat: Rem hereditariam alienatam, ſi æquipoſlens adſit, in corpore illo univerſali patrimonii aut hereditatiſ retineri. In univerſalibuſ enim, notante B. Brunne-
- manno

manno ad d.l.70. ff. de leg. 2. n. 6. regula ista valet: Pretium succedit loco rei, secus ac in singularibus, quales sunt fructus, de quibus concepta erat quaestio.

3. Fructus ex rei naturam provenientes tam naturales, quam indu- 36.
 striales respectu fundi, unde sumuntur, & hominum qui eos acquirunt,
 sunt vel pendentes, sive percipiendi, vel separati sive percepti. Penden- 37.
 tes dicuntur illi, qui rei, ex qua percipiuntur, cohaerent. l. 61. §. 8. ff. de
 furtis, de quibus regula haec ponitur; quod fructus pendentes sint pars
 fundi, d. l. 61. §. 8. l. 44. ff. de R. V. qui canon non simpliciter sed hypo-
 thetice intelligendus est habito nimirum respectu ad ipsius fundi sta-
 tum praesentem, quod fructus pendentes sunt, Richter. de Signif. adverb.
 sub voce: hypothetice, p. m. 334. Inde porro fluit, quod fructus penden- 38.
 tes pro immobilibus bonis de Jure Civili habeantur, quatenus nimirum
 ut accessorium & pars fundi considerantur. Carpz. P. 1. const. 28. d.
 124. n. 3. & P. 3. C. 13. d. 6. n. 4. Si vero separata eorum a fundo habeatur
 ratio, uti Jus Saxonicum non tam fundum, quam culturam ipsam
 considerat, tum fructus pendentes magis Jure mobilium quam immo-
 bilium censentur. Carpz. dd. l. l. Industriales scilicet, nam naturales
 pendentes de Jure Saxonico etiam inter bona immobilia referuntur.
 Part. 3. Const. 32. Rennemann. Jurispr. Romano-German. Membr. 2.
 Disp. 3. th. 12. Fructus hos pendentes alio respectu appellavi percipien- 39.
 dos. n. 36. quia nimirum earum Dominium a possessore fundi nondum
 est acquisitum, acquiri tamen per separationem ac perceptionem po-
 test. Qui significatus cum illo non est confundendus, quo fructus per- 40.
 cipiendi communiter dicuntur illi, qui non sunt in rerum naturam, neque
 existentia eorum speratur, potuissent tamen existere, nisi per possesso-
 rem stetisset, si nimirum ille debitam in re adhibuisset diligentiam. l.
 25. §. 4. ff. de hered. petit. l. 62. in fin. ff. de R. V. Ab utrisque differunt fructus 41.
 futuri, qui scilicet non extiterunt quidem, sed ipsorum tamen existen-
 tia probabiliter expectatur. l. 24. in pr. ff. de leg. 1. Subdividi poterunt
 fructus pendentes in maturos & immaturos. §. 36 l. de R. D. l. 13. §. 10. ff. 42.
 de act. emt. Maturi fructus sunt proprie illi, qui neque crudi, neque
 mites, neque nimium cocti, sed in tempore temperati proveniunt.
 Richter de signif. adverb. voce mature p. m. 462. unde per contrarium
 quid sint immaturi, facile intelligetur.

43. Fructus percepti & separati (hæc duo enim vocabula nobis synonymicè veniunt) sunt, qui à re vel corpore, cui cohærebant, facti, vel nomine nostro separati sunt, quamvis adhuc humi jaceant, nec in horrea collecti sint per expressum textum in *l. 78. ff. de R. V. & arg. l. 13. ff. quibus modis ususfr. amittatur, verbis: spica aut feno cælo, aut uvâ*
44. *ademtâ aut excusâ oleâ.* Dissentit B. Carpzov. *part. 2. const. 37. def. 20. n. 8.* fructus antequam horreis invehantur, ne quidem perceptos videri asserens, eumq; secutus B. Brunnem. *ad l. 15. pr. ff. locat. cond. n. 8.* fructus perfectè separatos esse statuens, quando collecti & in horrea congesti sint, non, si in agro jaceant. Sed cum hæc opinio partim lege destituatur (id enim, quo B. Carpzov. utitur, *arg. d. l. 13. ff. quemadm. ususfr. amitt.* pro nostrâ sententiâ facere jam ostensum est) partim satis perspicuè. *leg. 78. de R. V.* contradicat, pace tantorum virorum ab eâ
45. in præsentî recedere licebit. Nec est, quod ad disensum hunc tollendum cum Georg. Widmanno *de contract. tit. 12. num. 34. pag. 361.* distinguas inter fructus perceptos respectu conductoris & respectu bonæ fidei possessoris, dicasque, ab illo fructus demum, si horreis intulerit, ab hoc vero, si tantum separaverit, percipi. Nam hanc distinctionem in hoc negotio acquisitionis non admitti infra *Cap. V.* ostendetur. Posset tamen pro explicandâ Virorum Jctissimorum mente illud fortè afferri, eos per fructuum perceptionem non quamvis intellexisse, sed eam, quæ est in gradu eminentiori, quod B. Brunnemanni verba: *Perfectè separati* innuere videntur. Quâ explicatione adhibitâ, nulla amplius pugna suberit. Fatendum enim omninò est, invectionem in horrea perfectiorem esse fructuum perceptionem separatione simplici. Hinc & quandoque in jure fructus percepti separatis opponuntur ut in *d. l. 13. in fin. ff. quib. mod. ususfr. amitt. l. 25. §. 1. ff. de usuris.* Addè Bachov. *in comment. ad §. si quis à non Domino. Inst. de R. D. n. 2. p. m. 243.*
46. Separatio itaq; quemadmodum sola ad fructuum perceptionem sufficit, ita & sine eâ fructus perceptos de Jure Civili concipere haud poteris. Nam juxta hoc jus falsa videtur esse opinio, quam cum Glesâ & aliis à se allegatis fovet *Borigninus Cavalcanus Part. I. decis. 44. n. 16. f. m. 210.* fructus de primo recolligendos haberi pro collectis, quamvis, si ad Jus Saxonicum eam velis applicare, eadem admitti queat, utpote quod, uti
jam

jam dictum n. 38. in acquisitione non tam fundum, quam culturam respicit. Conf. B. Carpz. *Part. III. Const. 32. def. 26. n. 10.*

Non sine causâ n. 36. addidi, præsentem divisionem esse fructuum ex rei naturâ provenientes. Quod si tamen eandem & ad fructus civiles applicare cupias, illud ex Ludovic. Gomes. *Decis. 95. n. 5. p. m. 184.* notandum erit, cum versemur in materiâ fructuum civilium, nempe pensionibus domorum, eos tunc solum dici perceptos, quando exiguntur.

4. Fructus sunt vel aridi vel liquidi. *l. ult. in f. ff. de Jure fisci, l. 50. ult. §. 1. C. de Servit. & aquâ,* vel, uti Codex Theodosianus. *l. 2. tit. 33. l. 1.* effert, alii sunt humidi, alii arentes. Ad humidos, qui stylo Juris Civilis confundi possunt, refer vinum & oleum &c. Ad aridos, quorum est commixtio, spectant faba, fœnum, hordeum, frumentum, *arg. d. l. ult. §. 1. C. de Servit. & aquâ.* & quodlibet annonæ genus. Godofred. *in not. ad d. l. 1. C. Theod. lit. C.*

5. Fructus respectu objecti & rei ex quâ percipiuntur sunt vel terrestres, vel ædium, vel fundi, vel servorum, & ita porro. Terrestres, qui ex terrâ proveniunt, vel infra terram nascuntur & sine semine proveniunt, vel supra eam. Prioris generis sunt fructus lapidinarum, cretidinarum, argenti, auriq; fodinarum. Qui supra terram nascuntur illi vel immediate è solo per seminationem percipiuntur, vel mediatè, qui vel ex arboribus proveniunt, vel non ita immediatè ex semine ortum trahunt, sed aliud quid præter seminationem desiderant, die nicht gesäet/sondern geseet werden/ quo refer rapas, brassicam, olera, vitem &c. Fructus seminum in specie frugum nomine veniunt fructibusq; arboreis ac reliquis contradistingvuntur. Eleganter hanc in rem Salmasius. *Exercit. Plin. in Solinum p. m. 294. ad verba Solini: Felix nascentibus spontè frugibus) Plinius: Fructibus omnium generum spontè subnascentibus, ut nunquam satias voluptatibus desit. Per fructus omnium generum arborarios præcipuè intellexit, quales in monte provenire verisimile est. At Solinus dicendo: Frugibus spontè nascentibus, de solis frumentis ac leguminibus loqui videtur, quæ propriè sola frugum nomine continebantur. Græci σίτες & σιτηνές καπνές vocant. Accius in Troadibus. Nocturna Saxo fruges frendes torridas. Virgilius: Frugesque receptas. Et torrere parant flammis & frangere Saxo. Multi ne frumenta quidem frugum nomine censerit vo-*

lebant sed sola legumina, & sic frumenta à frugibus discernbant. Sed Ciceronem notat dixisse Servius, cum de leguminibus loqueretur; Olei & frugum minutarum. Minutas fruges ad legumina refert, ut panicum, milium, sesama, papaver, quæ multo minutiora grana frumentis habent. Sic dicta fuerint ad differentiam frumentorum, quæ majusculæ sunt fruges. Atqui legumina sunt multò majora frumentis, ut fabæ, lupini, fassoli & similia. Ergo & fruges de frumentis, & minutæ fruges tam frumenta quàm legumina dicebantur, ad discretionem majorum frugum, ut sunt arboreæ. Nam arboreas fruges Cornificius dixit arborarios fructus. Ammianus Marcellinus lib. 23. Littoribus proxima Persts habebatur, minutis frugibus dives & palmitæ. Per minutas fruges intelligere palam est frumenta & legumina. Ἀστῆρες καὶ πῆρες Græci appellant. Absolute verò & propriè fruges cum dicuntur, de solis frumentis & leguminibus accipi par est. Vide Plinium lib. 18. cap. 7. Ineptè ergo Solinus: Fructuum omne genus in Atlante subnascentium de solis frugibus ap. Plinium interpretatus est; aut imperitè frugum nomine etiam arborum fructus comprehendere voluit. Idem tamen fruges alibi à vineariis & arborariis proventibus distinxit. Idem Salmasius ibid. p. 259. ad verba Solini: Nulli posthabendâ frugum copiâ & soli ubere] -- Putem scripsisse: Frugis è solo copia. Et frugem è solo vocabat (Solinus) τῆς σιτηρῆς καὶ πῆρης ad distinctionem vineariorum & arborariorum fructuum, qui ex vineis & arboribus non immediatè carpuntur è solo, ut fruges, quas propterea γῆνης & ἐστῆλης καὶ πῆρης propriè vocant Græci.

56. Consentit Paulus l. 77. ff. de V. S. verbis: quod frumentis aut leguminibus, item: aut pomis fruges dici Wissenb. ad d. l. 77. §. 8. Ex quibus abunde patebit fruges tam de frumentis, quàm leguminibus & præterea de his solis dici. At, inquis, Jctus in d. l. 77. contrarium, & frugem

57. etiam pro reditu appellari non solum quod frumentis aut leguminibus, verum & quod ex vino, sylvis ceduis, cretifodinis, lapidicinis capitur, asse-

58. rit, adeoq; sententiæ nostræ videtur contradicere. Sed benè se res habet. Illud enim, quod dicit ibi Paulus, non absolutè intelligendum, sed ad actionem aquæ pluriæ, de quâ loquitur ibid. Paulus, restringendum esse eleganter deducunt. Wissenb. d. l. th. 7. & 8. Gœdd. ad d. l. 77. n. 1. Conf. Jac. Rigos à MalloSCO ibid. n. 2. ut sensus legis sit: Quamvis aliàs propriè frugum vocabulo sola frumenta & legumina veniant, tamen

in materiâ actionis aquæ pluvix arcendæ, à quâ eximebatur is, qui frugum servandarum causâ opus fecerat, frugum nomen ad omnes fructus ob identitatem rationis esse extendendum. Nihil movet ulterius opinio Juliani, *fruges omnes esse quibus homo vescatur in d. l. 77.* asserentis. Eum enim uti Paulus *ibidem* acute datâ instantiâ à carnibus avibus, feris & pomis desumptâ stringit, ita miror Conradum Heresbachium *lib. 1. de re rusticâ p. 92.* hunc Juliani errorem approbasse.

Frugum itaque propriè dictarum, uti ex dictis patet, Pliniusq; eâ in re consentit. *lib. 18. cap. 7. ab init.* duo prima sunt genera, frumenta & legumina. Et recepta quoq; hæc divisio ferè communiter ab omnibus est. Sed si in differentiam horum duorum generum inter se inquiras, adeò obscuratam hanc materiam, ab ipsis, qui in eâdem plurimum lucis afferre debebant (Plinium intelligo & Columellam) esse reperies, ut quò te vertere debeas, justè ignores. Ita neuter eorum, ita nec in recensendis speciebus horum generum consentiunt. Sic selama à Plinio *dicto loco p. m. 818.* inter frumenta, à Columellâ vero *lib. 2. de re rusticâ, c. 7. & 10.* inter legumina refertur. Quid quod & hic posterior nec sibi ipsi constans est. Milium enim, panicum & hordeum inter frumenta à se *cap. 8.* relata leguminibus in *cap. 7.* accenset. Nemo ergo fortè vitio mihi verteret, si in hóc rerum turbine τὸ ἐπέχειν eligerem. Sed cum tamen ad varias quæstiones decidendas frumenti natura determinanda sit, videbo, quomodo ex hoc labyrintho me extricare valeam.

Ut à Columellâ incipiam, is *cap. 7.* dum ordeum (quod tamen frumenti speciem & ipse postea *cap. 8.* esse confitetur) inter legumina refert, hanc addit rationem: *Quia ex eo Ptisana est.* Videtur verò Ptisana esse pultis genus ex farinâ ordeaceâ notante Georgio Alexandrino in *indice vocum Priscarum ex Columellâ*, cujus & Plinius *lib. 18. c. 7. p. m. 822.* meminit, cumq; dictâ Alexandrini explicatione etiam derivatio Athenæi, Ptisanam *ὑπὸ τῆς πίσιου καὶ ἀνείν* à tundendo & madefaciendo deducens congruit. *Vid. not. Var. ad dict. Plin. loc. lit. hbb. p. m. 825.* Deinde idem Columellâ *cap. 9. p. m. 55.* de milio & panico ita inquit: *Inter frumenta etiam, milium & panicum ponenda sunt, quamvis jam leguminibus ea contribuerim: nam multis regionibus cibariis eorum coloni sustinentur,* posteaq; *p. seq. 56.* utrumq; hoc frumenti ge-

nus pultem præbere non injucundam asserit. Ut adeò ab hoc autore, eandem causam utrobique, cur aliquid vel frumentis vel leguminibus accensendum sit, ponente, frustra differentiam inter hæc duo frugum genera expectes.

68. Servii opinio ex granorum magnitudine quæstionem hanc decidere volentis jam supra n. 55. à Salmasio refutata est. Ut taceam leguminibus propriè loquendo non esse grana, Körner / sondern Hülsen oder Erbsen / quæ vulgariter glumæ appellantur. *vid. n. 79.*
69. Varro *de re rusticâ Cap. 23. lib. 1.* legumina ab eo, quod legantur sive vellantur è terrâ, non verò secantur dicta vult, & *cap. 48. ejusd. lib. ab init.* frumentum describit, quod culmus sive spica extulit. Ex quo duplicem differentiam colligere quis posset 1. Legumina ex terrâ evelli, frumentâ secari. 2. Frumenta à spicâ extolli, legumina alio quodam modo. Priorem tamen quod concernit, uti de ejus universalitate non sine ratione fortè quis dubitare posset, ita accidentalis saltè ea est à facto hominum frugibus hisce extrinsecus accedente, quodq; pro lubitu à quovis poterit immutari, desumpta. Ad posteriorem ulterius explicandam appositè videtur facere *l. 77. ff. de V. S.* ubi Jctus dicit: *Fru mentum id esse quod aristâ se tenet, lupinum verò & fabam fruges potius dici, quia non aristâ sed siliquâ continentur, & hæc Servium ad Alfenum*
70. *in frumento contineri putasse.* Ex quo textu Gædd. *ad d. l. n. 3.* notat frumenta & legumina in eo differre, quod illa aristâ, hæc vero siliquâ contineantur, frumentumq; postea definit quod sit fruges spicæ ordine structa, quæ contrâ avium minorum morsum munitur vallo aristarum crescendoq; perficitur & secatur. Quam definitionem ex Cicerone *de Senectute* & Plinio *lib. 18. cap. 7.* dicit esse desumptam. Idem sentit Wehnerus *in Observat. Pract. voce Getreudig.* Conf. Klock. *de arar. lib. 2. c. 1. n. 72.* Ut adeò ex horum autorum hypothese jam in salvo simus, deque differentia inter frumentum & legumen non ulterius
71. debeat esse solliciti. Verum si Ciceronis ipsius & Plinii loca evolvas, ex quibus dicti autores definitionem suam hausisse volunt, maxima de hoc asserto oriuntur dubitationes. Utriusq; verba non pigebit
72. adscribere. Ita vero Cicero *d. l. Tom. 4. oper. p. m. 551. n. 51.* Venio nunc ad voluptates agricolarum, quibus ego incredibiliter delector, quæ nec ullâ impediuntur, *Senectute & mihi ad sapientis vitam proximè videntur accedere.*

cedere. Habent enim rationem cum terrâ, quæ nunquam recusat imperium, nec unquam sine usura reddit, quod accepit: Sed aliàs minore, plerumq; majore cum fœnore. Quamquam me quidem non fructus modo, sed etiam ipsius terræ vis ac natura delectat, quæ, cum gremio mollito ac subactò sparsum semen excepit, primum id occatum cohibet, ex quo occatio, quæ hoc efficit, nominata est. Deinde tepesfactum vapore & complexu suo diffundit & elicit herbescentem ex eo viriditatem, quæ nixa fibris stirpium, sensim adolescit culmoq; erecta geniculato vaginis jam quasi pubescens includitur, è quibus cum emerfit, fundit frugem spicæ ordine structam, & contrâ avium minorum morsus munitur vallo aristarum. Plinius autem hunc in modum disserit: Omnium satorum fructus aut spicis continetur, ut tritici, hordei, muniturq; vallo aristarum quadruplici, aut includitur siliquis, ut leguminum, aut vasculis, ut sesamæ & papaveris. Milium ac panicum tantum pro indiviso & parvis avibus exposita sunt. Indefensa quippe membranis continentur. Ex his patet, Ciceronem ejus propositi haud fuisse, ut ibidem frumenta definiret, sed tantum ut obsequium terræ quod industriæ humanæ in producendis frugibus ipsi insitis præbet, verbis quibusdam elegantioribus circumscriberet. Neque ulla apud ipsum frumenti mentio, sed frugis solùm vocem non sine ratione adhibuit. Plinius autem non universalem & adæquatam inter frumenta & legumina ibi tradit differentiam, sed quæ tantum ad triticum & hordeum aut similes species restringenda venit. Maximam enim difficultatem hic faciunt milium, panicum, sesamæ & papaver, quorum priora tria verbis immediatè antecedentibus inter frumenta ipse Plinius retulerat, idemq; de papavere, quod in loco n. 76. descripto cum sesamæ conjungit, sensisse videtur, quia hæc omnia quatuor genera ibidem leguminibus opponit. At neutrum horum, ipso Plinio fatente aristam habet. Est enim arista describente Varrone lib. i. de re rusticâ c. 48. quæ ut acustenuis longâ eminet è glumâ.

Jam quid mihi in hæc sententiarum varietate videatur, salvo tamen aliorum judicio, paucis exponam. Ac initio quidem rectè id dictum puto: Leguminum species eas esse, quæ siliquâ (German. etner Schote) continentur. Sed præter hoc requisitum aliud quoddam addi debere opinor, ut scilicet in ista siliqua contineatur eine Hülse oder Erbse / (unde etiam legumina nobis dicuntur Hülse-Früchte) quod

- quod vocabulum communiter latinè per glumam redditur, sed minus rectè. Gluma enim notante Varrone *d. l.* est folliculus grani in frumento. Ad legumina itaq; spectant (1.) Pisum, German. Erbsen / vel vulgariter Schoten / (2.) Cicer vel Erebinthus Ziser, Erbsen / (3.) Phasiolus, Faseln oder welsche Bonen / (4.) Faba, gemeine Bonen / (5.) Lupinus, Feig-Bonen / (6.) Ervum, Erven / (7.) Lens, Linsen / (8.) Vicia, Wicken / &c. quæ species & à Columellâ & à Plinio & à nostratibus inter legumina recensentur. Vid. Tabernæmontani Kräuterbuch *lib. 2. Sect. 4. f. m. 876. seq.* & Loniceri Kräuterbuch *part. 2. f. m. 514. seqq.*
80. Ut non videam cur Gœdd. *ad dict. l. 77. de V. S.* viciam ex mente Plinii inter frumenta referat, cum tamen hic *d. l. 18. c. 7. non procul ab init.* expressè asserat: In tritici genere partem aliquam pabuli quadrupedum causâ sati esse, ut farraginem, & in leguminibus quoque, ut Viciam.
81. Deinde quod frumentum concernit, de eo ita videtur pronuncian-
ciandum, ut: quæcunq; fruges neque siliquam, neque glumam (licet enim tantisper hoc vocabulo in sensu vulgari uti) habet, illa frumentis accensenda sit, & adeò in his duobus differentia genuina frumenti
82. & legumini quæri debeat, continente nimirum & contento. Ac maximè quidem in contento, quod uti in legumine erat gluma die Hülse oder Erbse / ita in Frumento granum est, das Korn / & ita frumenta nobis erunt, die Korn-Früchte oder Getrende / hoc est omnis fruges,
83. quæ granum habet. Circa continens autem frumenti, res non adeò uti in legumine expedita est. Equidem negativè dici poterit, grani continens non esse siliquam, sed positivè, & quid sit illud, in quo contineatur granum, universaliter determinari commodè nequit. Plerumque
84. est arista ut in hordeo, tritico, avenâ &c. & hinc à potiori in *d. l. 77. ff. de V. S.* facta fuit denominatio. Aliquando tamen aliud vasculum, uti in sesamâ, papavere, milio, & panico (quibus & oryzam adjuuge) contingere *suprà n. 76.* ex Plinio dictum fuit.
85. Hisce præsuppositis jam facilè erit frumenti definitionem tradere. Sed antequam hoc faciam, prius ab homonymia liberandum erit vocabulum. Sumitur verò frumentum (quod communiter à frumine dictum putant, quod ex eo panis confici, & per frumen in ventrum demitti soleat. Vid. Gœdd. *ad d. l. 77. n. 3.* & Wehner. *obs. præf. voce Getrende* : Græcis verò alio respectu *μήλοι καρπός* à colore melino
86. appel-

appellatur, de quo evol. Salmasius *Exerc. Plin. fol. 257. lit. D.*) in jure nostro potissimum duobus modis : 1. Propriè & latè pro omnibus speciebus suis, ut in *d. l. 77. de V. S.* 2. Strictè & analogicè pro tritico tanquam eminenti frumenti specie, & tunc reliquis speciebus & maximè hordeo contradistingvi solet, ut in *l. si quis qui negotia. 50. §. ult. ff. mandati. Vid. Wissenb. ad dict. l. 77. th. 10.* Clariora exempla habentur in *l. 9. C. de suscept. lib. X & l. 2. C. de Canone frumentar. Urb. Rom. l. XI.* quibus similis est locus Plinii *d. l. 18. c. 7. p. m. 820. Calamus altior frumento, quàm hordeo.* Addit Accursius in *Gloss. ad rubr. C. de Can. Frument. Urb. Rom.* tertiam & latissimam significationem, quàm sub generali frumenti appellatione omnia ad victum necessaria comprehendit. Sed leges ab ipso adductæ, eæ nimirum, quas pro significato stricto jam attulimus, contrarium potius inferunt, *vid. Hering. de Molendinis qv. 55. n. 19. p. m. 585.* ut non immeritò cuiquam in mentem venire possit; Frumentum cum annonâ, cujus nomine antiquitus omnia edulia venisse notat Tholosanus *Syntagm. lib. 36. cap. 30. n. 10. Conf. cap. 2. n. 16. seqq.* ab Accursio fuisse confusum. In latâ itaq; acceptione frumentum describo, quod sit *fruges grana in se continens*, quæ definitio frumentum tam à leguminibus, quàm reliquis fructuum speciebus *per dicta n. 53. 62. & 83.* distingvit, & omnibus quoque frumenti speciebus est accommodata.

Primas autem inter frumenta sine dubio tenet, 1. *Triticum* *dergo. Weitz* / cujus tres species constituit Columella *lib. 2. de re rustica cap. 6. Tritici genera*, in quibus, *complura cognovimus. Verum ex his maximè serendum est, quod robus dicitur, quoniam & pondere & nitore constat. Secunda conditio est habenda siliginis cujus species in pane præcipua pondere deficitur. Tertium erit trimestre, cujus usus agricolis gratissimus & c.* Ex quo loco malè Rebuffus, eumque secutus Menochius *lib. 4. præsumpt. 151. n. 3.* inferre volunt, triticum aliquando in genere sumi, & significare quicquid in area teritur, hordeum etiam & milium. Quos decepti sine dubio vel vox *siliginis*, quam tritici speciem Columella dixerat, quæq; communiter à nostratibus per *secale Germ. Nocken* explicatur, sed minus rectè vid. *Tabernæmontan. lib. 1. des Kräuterbuchs sect. 7. cap. 3. fol. m. 599. b.* Vel etiam autoritate Accursii, qui primus hunc errorem errasse videtur. *ad l. 94. ff. de V. O.* notatus

- propterea à Cujacio ad *d.l. 94. T. 1. op. fol. m. 1257. D. Conf. infra Cap. 2.*
93. n. 84. Sequitur 2. *Hordeum Gerste* / quam quidem aliqui ob *l. 9. C. de suscept. lib. X.* non putant frumenti appellatione contineri. Wehn. *d. l. voce Getrende.* Sed ad hoc responsionem cape ex *n. 87. 3. Secale.* aliis *Briza vel Farrago, Kocken.* 4. *Zea, Columellæ ador vel semen adorem, Accursio ad d.l. 94. de V. Obl. Spelta, Speltz, oder Dünckelforn.*
94. 5. *Avena Haber* / per quam tamen non intellige avenam sylvestrem den wilden Haber / quæ per se succrescit, non seritur, & à Plinio *lib. 18. c. 17.* inter vitia frumenti refertur, cujus etiam meminit Jctus in *l. 27. §. 14. ff. ad L. Aquil. Hering. de molend. qv. 55. n. 21. add. Gottofr. ad d. l. 27. §. 14. lit. A. 6. Milium Hirsen / & 7. Panicum Fench / Pfenich oder*
95. *Fuchschwanz* expressè à Plinio *lib. 18. c. 7.* frumentis accensita, dum nullum frumentum ponderosius esse, aut quod coquendo magis crescat, quàm milii & panici, asserit. Neque obstant dubitationes, quas
96. Goëddæus ad *d. l. 77. de V. S.* movet (1.) quod neque siliquam habeant, neque aristam. Nam ad hoc facile ex dictis *n. 84. & 85.* responderi poterit (2.) quod Jctus in *l. 27. §. 19. ff. ad l. Aquil.* milium frumento contra distingvat. Ad cujus legis conciliationem non opus est, ut cum
97. Goëddæo textum corrigamus & pro: *frumentum*, legamus: *vel aliud frumentum*, sed vel ex *n. 87.* rursus respondendum erit, frumenti vocem ibi strictè pro tritico supponi; vel etiam concedere poterimus, seriam Jcti in *d. l.* mentem fuisse, hanc speciem à frumento esse excludendam (quemadmodum jam supra *n. 64.* notatum est, Columellam etiam milium & panicum leguminibus accensuisse) nec ex inde tamen
98. quicquam sententiæ nostræ decedet. *In hujusmodi enim*, uti eleganter inquit Bachovius in *περίοις. p. 39. & 40.* quæ ex principiis *Ethicis, Politicis* (addo: & *Physicis*) *aut ex historiis decidenda sunt, autoritas sive Pomponii, sive Triboniani, sive cujuscunque tandem, sicubi ejus assertio illis repugnat, facile contemnitur, imò contemnenda est.* Idem ad *Wesemb. parat. p. m. 17.* Justiniani non aliam fuisse potestatem, acutè monet, quàm *legum condendarum.* Si quid ad *historiam, Ethicam, aut alias disciplinas pertinens in ejus constitutionibus deprehendatur, in eo omnimodo ab ipso dissentire fas esse, quippe quod hæc potestatem legislatoris excedant.* Hinc ergo (quod obiter ob vitium seculi ex eodem
99. Bachovio ad *Wesemb. p. m. 3,* noto) ineptè faciunt *Doctores vulgò, dum prin-*

principia aliarum disciplinarum ex textibus & Interpretibus probant, quæ quidem in re aliqui eoque progrediuntur, ut & principia veritatis certissima, veluti: non entis nullæ sunt qualitates, & alia id genus ridiculæ ex jure confirmare laborent, & male confarcinatis centonibus ex locis communibus miserè abutuntur. 8. *Oryza* vel pisum *Reis*/ quamvis & hæc species à pluribus inter legumina relata sit. vid. *Tabernæmont.* in *Rudertbuch. lib. 1. sect. 7. cap. 26. f. m. 653. E. 9. Papaver Mag-* 100
samen oder *Mon.* conf. *Joh. Gvil. Stuckii antiquit. Conviv. lib. 2. f. m. 166. b.* 10. *Sesama* *Zeimdotter.* vid. *suprà n. 63. 76. & 78. &c.* Omnes hæc, quas recensuimus, species, quamvis singulæ non contineantur aristâ, grana tamen continent, quod ad frumenti essentiam sufficere diximus: In iis autem quæ aristas non habent, ut milio, panico, sesamâ & 101.
papavere, illud quoque observare licet, grana illis minora esse quàm reliquis speciebus (conf. *suprà n. 55*) unde & in specie hæc grana minora nomine seminis veniunt, uti in *Papavere* contingit. Possent inde frumenti duas quasi constituere species, unam, quæ aristam habeat & 102.
grana majora, alteram, quæ minora & aristâ destituatur, Conf. *Stuck. d. l. f. 166. a.* quam divisionem, si generis analogi diceret, cujus potissimum analogatum sit prima species, fortè non errares. Atque hoc modo etiam & *Jcti* in *l. 77. de V. S.* & ea, quam *n. 72.* retuli, frumenti definitio salvaretur. Moribus nostris dividi solet frumentum in durius, 103.
& mollius, in *hartes* und *weiches*. Vid. *Wehner. Observ. Pract. voce Getreidig.* In quo verò utriusque generis essentia consistat, determinatum non legi. Quinimò autores in recensendis eorum speciebus variant. Nam *hordeum*, quod *Colerus* de process. *Execut. Part. 3. c. 9. n. 134.* inter frumenta duriora refert, à *Coppen. Decis. 44. n. 72.* (qui & ibidem *cicer* frumentis annumerat) inter molliora ponitur. An 104
fortè ita dicendum? Durius illud appellari, quod in hyeme, & mollius, quod in æstate feritur. Jam, cum quædam frumentorum genera utroque anni tempore feri soleant, & maximè hic regionum consuetudines varient, inde accidere facile poterit, ut una eademque species hic inter molliora, alibi inter duriora frumenta referatur. Neque hoc modo *Cop-* 105.
pen cum *Colero* pugnabit. Ille enim (uti ex allegatis locis apparet) juxta consuetudines *Marchiæ*, hic vero secundum *Jus Saxonicum* & juxta mores *Lipsiæ* vel *Jenæ* fuere locuti. Sed de eo alii judicent.

- Posset etiam frumentum ratione qualitatis accidentalis dividere in vile, bonum & optimum, cum non omnia frumenta æqualem vim nutritivam secum ferant, adque panem coquendum æquè apta sint, & ratione specierum quoque singularum una regio alià melius frumentum producat. Sapienter enim à divino numine id profectum est, ne una regio omnibus rebus abundaret, sed una præ alterà haberet
107. quid singulare. Sic quemadmodum olim triticum Africum optimæ notæ habitum fuit, *arg. l. 50. §. 1. ff. mandati ibiq.* Gottofr. *lit. v.* Ita hodiè optimum frumentum in Polonià, Prussià & quibusdam Germaniæ provinciis nasci ex Garzone refert Marquardus *de mercatur. l. 1. c. 3. num. 24.*
108. Causa efficiens frumenti, idque producens est natura terræ sive agri, mediante industrià humanâ, quæ tamen posterior in hoc concursu priorem vincere videtur. Proscindendus enim, si frumentum capere ex eo velis, tibi ager erit, offringendus, tertius, occandus, ferendus, runcandus, & quid non? Vid. Plin. *lib. 18. cap. 18. seqq.* Hinc & supra *n. 24.* frumentum inter fructus industriales retulimus. Quis verò omnium primus frumenti post lapsum autor sit, ex historiâ sacrâ abundè docemur. Adamus enim, postquam peccatum commiserat, à Deo de Paradiso voluptatis emissus est, ut terram operaretur. *Gen. 3. v. 13.* Post diluvium verò itidem Noah primus artem arandi & ferendi usurpavit, agricola factus. *Genes. cap. 9. v. 20.* Ut ad eò non opus habeamus cum Ethnicis & profanis scriptoribus artis aratoriæ inventionem vel Cereri, vel Dagoni, vel etiam Bestiis (Ægyptiorum exemplo, qui porcum propterea, quod terram rostro aperiendo arare docuisset, adorarunt) adscribere. *vid. omnino. Hering. de molend. qv. 2. num. 37. & seqq. pag. m. 45. seqq.*
109. Materia ex qua frumenti semen est; in quâ, si ve subjectum est vel commune, ager nimirum, per quem intellige locum ruris, quem colimus, aramus, serimus. Wissenbach. *ad l. 27. de V. S. vel proprium, scilicet aut spicæ vel aristæ, aut alia vascula, quæ tamen siliquæ non sunt. Vid. n. 84. & 85.* Forma frumenti essentialis est vel generica vel specifica. Illa in eo consistit, quod fruges sit, per quam fructibus arboreis, fundi, ædium &c. contradistinguitur. Nec obstat, quod in arboribus quandoque nata frumenta testetur Plinius. *lib. 18. c. 18.* in quo casu etiam frumentum ad fructus naturales referendum esse vide-

videtur, quod tamen est contra *n. 24. & 108.* Facilis quippe responsio ex Plinii ipsius verbis, qui inter ostenta illud refert, quæ in definitionibus non attendimus. Sic in Silesiâ Marchiæ vicinâ Anno 1571. Joannis Georgii Elector. Brandenb. tempore mense Octobri frumento tritico filigineque pluit: referente Nic. Leuthingero. *part. 7. comment. hist. March. pag. 13. 14.* Et inde tamen nihilominus frumentum industrialium fructuum species remanebit. Formam specificam in reliquis definitionis verbis exposuimus, dum granum illud continere assertum fuit, in quo à leguminibus, alterâ frugum specie maximè differt per tradita. *n. 82. seqq. conf. n. 68.* Finis frumenti est vel communis ipsi cum omnibus fructibus, quos hominum gratia rerum naturam comparasse testatur Jctus *l. 28 §. 1. ff. de usur.* (ubi obiter notes, in dicto textu aliquid humani passum esse Cajum, quod hâc ratione ad decidendam controversiam de partu ancillæ, an in fructu sit? usus fuerit, cum, si eadem admittenda veniat, illud exinde sequatur inconueniens, nec partum ancillæ tanquam fructum ad Dominum ancillæ spectare contra *§. 19. Instit. de R. D.* Melior itaq; ea est, quam suppeditat Ulpianus. *l. 27. ff. de hered. petit.* quod ancillæ non ad id comparentur, ut pariant, sed ut operas serviles præstent;) Vel proprius, qui juxta varias frumentorum species & ipse variat. Aliud enim frumenti genus ad panem producendum, aliud ad cerevisiam coqvendam, aliud ad pultis præparationem aptum est. Potissimus tamen finis frumenti ille est, ut panis exinde comparetur. *vid. Stuck, antiqv. Conviv. lib. 2. f. m. 160. b.* In quo leguminibus prævalet, quæ solum ad cibos secundarios (Zugemüse) adhibentur, vel etiam ignobilioribus usibus, ut erugationi corporum (quomodo farinâ fabacæ ad eruganda corpora usa est antiquitas. *Stuck. d. l. f. 167. a. & b.*) inserviunt. Neque his obstat, quod Propheta jussus fuerit ex frumento, hordeo, fabâ, lente, milio & viciâ panes conficere, *Ezech. 4. v. 9.* atq; adeò & leguminibus hic usus cum frumento communis esse videatur. Non ineptè enim de his panibus judicat Stuckius. *d. l. lib. 1. f. 58. b.* eos Symbolum fuisse magnæ inopiæ atq; famis, quæ populo in futurâ urbis obsidione fuerit subeunda, ut, cum antea delicato pane (utpote in regione optimi frumenti fertilissimâ) vesci solitus sit, annonæ caritas subsequutura, eum coactura sit, ut ex lente & viciâ, rebus ad hunc finem aliàs ineptis panem sibi præparaturus

turus sit. *Conf.* Cornel. à Lapide *ad d. Ezech. l. f. m. 979.* Quod verò
 122. idem Stuckius *ibid.* panum horum descriptioni congruere aliquo
 modo illum Apuleji locum *lib. 6. Metamorph. p. m. 269.* putat, ubi fru-
 mentum, hordeum, milium, papaver, cicer, lens & faba à Venere acer-
 vatim commixta & in unum glomulum, (vel, ut alii legunt: *grummu-
 lum.*) confusa fuisse dicuntur, in eo nescio, an dictum Apuleji locum
 satis curatè inspexerit. Perlustranti enim circumstantias allegatæ de
 Venere fabulæ, apparet, glomulum ibi non obsonii significare, uti ex-
 ponit Stuckius, sed solum acervulum quendam, in quo Psyche confusa
 ista varia frugum genera discernere rursus atque separare debebat.

Frumenti vocè ita exposità, quid *Juris* nomine in inscriptione
 123. nobis veniat breviter dicendum. Ut verò varias *Juris* acceptiones
 omittam, quas eleganter exhibet Ericus Mauritius. *dissert. de principiis
 juris publici cap. 1. t. 1. seqq.* Jus h. l. illud voco, quod Grotius. *l. 1. de J.
 B. & P. c. 1. §. 6.* definit qualitatè moralem personæ competentem ad
 aliquid justè habendum vel agendum.

Dixi autem in titulò: De *Jure Circa* frumentum, non: De *jure*
 124. frumenti. Frumentum enim tanquam res inanimata subjectum *Juris*,
 cui illud inhæreat, esse non poterit, sed objectum tantum ejusdem est,
 aut occasio, unde homines *Jus* exercent. Quod ut melius intelligatur
 125. præsuppono ex Hahnio. *tract. de jure rerum cap. 1. concl. 2. n. 5. & concl.
 6. ac 7.* *Jus* rerum vel *Circa* rem sumi tripliciter 1. latissimè pro quacun-
 que facultate quâ aliquis quid potest circa rem, ut etiam *Jura* persona-
 rum tunc includat. Quatenus verò *Juri* personarum contradistingui-
 126. tur, tunc accipitur 2. latè; pro quacunque potestate circa rem, ubi qui-
 dem nec res ipsa nobis est divincta nec homo aliquis ad eam præstan-
 dam *Juris* vinculo nexus est, sed ejus *Juris* exercitium immediatè ex le-
 gibus vel naturæ decreto alicui datum est, describente Feltmanno *de
 jure in re & ad rem cap. 9. n. 5.* sic dicitur *Jus* retentionis, deductionis,
 imputationis, reservationis, deliberandi, immunitatis, gladii. &c.
 3. Strictè pro eo *Jure* circa rem, ex quo actiones reales & personales
 127. oriuntur, & quo vel res ipsa affecta est, vel persona obligata, quorum
 illud appellatur *Jus in re* (cujus cum Magnif. & JCtis. Dn. BORNIO,
 Dn. Patrono ac Promotore meo ex paucis maximoperè colendo *in
 dissert. inaugurali de Jure in re* unicam tantum agnosco speciem,
 domi-

dominium nempe, frustra, quamvis magno & ad nauseam usque coactato syllogismorum apparatu dissentientibus ejus adversariis, de quò fortè alio tempore latius id exponendi occasio se offeret) hoc vero jus ad rem. Præsenti in loco vocabulum juris circa frumentum ^{128.} sumitur in primâ eâque latissimâ acceptione. Non enim de solo jure in re & ad rem, quod hominibus in frumento competit, hic nobis agendum erit, sed & de privilegiis occasione frumenti datis & de potestate imperandi personis propter frumentum.

Ut ergo methodum capiat dissertatio nostra, Jus circa frumentum ^{129.} vel exercetur à potestate publicâ vel à privatis. In privatis consideranda, 1. Jus personarum, 2. Jus rerum quod vel in re, vel ad rem, & hoc vel ex contractibus oriundum vel ex delictis. 3. Jus actionum judicialium.

CAPUT II.

De

Potestate Principis circa frumentum & in specie, de horreis publicis, magistratibus ob annonam electis, & exportatione frumenti prohibita.

SUMMARI A.

Finis Reip. duplex, εὐδαιμονία & ἀσφάλεια. n. 1. Ad ἀσφάλειαν spectat abundantia frumenti, eiqve contrariatur annona caritas. n. 2. quam princeps avertere debet. n. 3. Generalis caritatis causa maledictio divina. n. 4. Hujus remedium. n. 5. (Tempore famis canes interfecti. n. 6. An commodè? n. 7.) Speciales cause. n. 8. Ad primam spectant quatuor venditionum frumenti genera. n. 9.

R, Vol. II. Disp. XX.;

1. Exportatio frumenti ad quovis quam Princeps dupliciter removere potest. n. 10. (1.) Coemendo abundantem frumenti copiam exemplo Romanorum. n. 11. Sedes hujus materiæ. n. 12. Autores de eâ. n. 13. Horrea quid? n. 14. Tam à privatis quam publicè exstructa. n. 15. Annona quid? n. 16. Differt à Capitibus. num. 17. Sumitur quandoque pro pane. n. 18. Annona desumta ex provinciis fru-

D

men-

mentariis. n. 19. Quo modo Romanam & Constantinopolin deferri solita? n. 20. Cur à Romanis in horrea collecta? n. 21. Annona duplex: militaris. n. 22. & civilis, quæ vel civica. n. 24. 25. vel Popularis. Quis primum populo frumentum distribuerit. n. 26. Augustus deficiente frumento se necare voluit. n. 27. Populo loco frumenti panis distributus. n. 28. Quæ ratio? n. 29. Quis Constantinopoli distributionem instituerit? n. 30. Tessera frumentaria. n. 31. Quomodo distributio facta? n. 32. Magistratus certi ap. Romanos curam annonæ habebant. n. 33. In urbe Ediles Cereales & præfectus Urbi. n. 34. Item præfectus annonæ. n. 35. 36. Hujus officium. n. 37. In Provinciis præses. n. 38. Cura cæmendæ frumenti spectavit ad siconas. n. 39. Librarii horreorum qui? n. 40. Qui mensores? n. 41. Romanos imitari debet bonus princeps. n. 42. Exempla hujus rei. n. 43.

(2.) Legem de prohibita frumenti exportatione proponendo. n. 44. Circa quam quæritur:

An magistratus municipalis talem legem condere possit? Affirm. n. 45 ut nec principis confirmatione indigeat. n. 46.

An hujusmodi lex justa sit? Ratio dubitandi. n. 47. Responsio Knichen. n. 48. Quæ rejicitur. n. 49. Princeps potest talem legem ponere etiam tempore abundantia. n. 50. Cuilibet liberum est quid velit acquirere, vel non. n. 51. Emtio frumenti extraneo denegata non est justa belli causa. n. 52. 53. Quomodo obligemur ad adjuvandam commerciorum libertatem. n. 54. Monopolium non omne illicitum. n. 55.

Quid in simili lege sub frumento comprehendatur? n. 56.

An farina? Rationes dubitandi pro negativâ. n. 57. Affirmatur quæstio. n. 58. An sub voce frumenti contineatur farinâ? Rationes affirmantium. n. 59. 60. 61. Negatur. n. 62. Explicatur l. 9. §. fin. de contrab. emt. n. 63. 64. 65. Farina censetur prohibita non ex verbis sed mente legis. n. 66. Venditione materiae prohibita materiaturum vendi nequit. n. 67. Statutum jus commune restringens vel corrigens odiosum est. n. 68. ex mente Gallii & Hartm. Pistoris. num. 69. Quod falsum. n. 70. Cum potius pro favorabili habendum sit. In statutorum interpretatione uti in interpretatione Legum procedendum. n. 71. Notatur

Treat-

- Trentlerus. n. 72. Favorabilia extendenda, odiosa restringenda. n. 73. Quomodo leges, quæ de favore & odio participant, explicanda? n. 74. In dicto statuto cur vox frumenti ad farinam extendatur. n. 75. An leges penales strictè interpretanda? n. 76. An panis? Affirm. n. 77. An hordeum, avena, & spelta? Negat Ripa. n. 78. Sed affirmatur tam quoad verba statuti. n. 79.*
- Quamamentem. n. 80. 81. An milium, panicum, & oryza? Dubit. n. 82. Ad Legumina? Negatur n. 83. An legumina sub voce tritici contineantur. n. 84.*
- II. Venditio frumenti immaturi.*
- III. Venditio frumenti sine justâ mensurâ.*
- IV. Venditio frumenti ex injusto pretio de quibus relative. n. 85. 86. 87.*

Finis Reip. cujuslibet à Politicis duplex constituitur, ἀντιρρησία & εὐδαιμονία. Prior procuratur à principe, si opus det, ut omnium rerum ad vitam necessariorum sufficientiâ abundet civitas; alterum vero idem per leges subditis suis præscriptas obtinet. Ad vitam conservandum si ulla res necessariò requiritur, sanè de frumento quàm maximè id dicendum erit. Panem enim si hominibus adimas, proh! quanta miseria inde orietur, cum dimidia ferè victualium pars tunc videatur esse ablata. Curabit itaque bonus princeps, ut frumenti copia in Civitate, quam regit, deprehendatur, caritasq; annonæ sollicitè evitetur. Cum verò caritatis annonæ variæ sint causæ, singulis his singula remedia quæret princeps, quò illis in tempore obex poni possit. Generalis causa famis, uti omnium malorum similium, à Deo ad puniendam hominum improbitatem inventorum est maledictio divina terræ ob impietatem humanam imposita. 2. Reg. 24. Ezech. 6. & 7. Deuteronom. 28. (ad quam an cum Thalaudistis, vid. Tholosan. lib. 31. Syntagm. c. 23. n. 3. referenda sit retentio primitiarum Deo debitarum, alii viderint) cui, si jam adsit, per diligentiam humanam vix remedium poni poterit, cum hæc sine benedictione divinâ, quæ in frugum productione utramque facit paginam, nullum effectum sortiri queat. Quapropter hic nullâ aliâ methodo opus erit, quam ut vel ab initio cum subditis suis ita religionem colat princeps, ut Deus ad famem immittendam non commoveatur, vel, si poena jam præsens sit, ea aut patienter

6. sustineatur, aut preces seriæ pro amovendâ eâ instituentur. His enim adhibitis meliorem successum res habitura est, quam si canes occidantur, quod à Carolo Bono Comite Flandriæ, cum anno 1126. sterilitas in Gallia & Flandriâ grassaretur factum esse ex Meyeri *hisor. Flandr. lib. 4.* narrat Tholosanus *lib. 47. c. 31. n. 12.* ne nimirum à canibus exiguum annonæ consumeretur. Quod remedium nescio cur commendetur à Tholosano *d.l.* cum notum sit, canes præ aliis bestiis frumento haudquaquam tales parari insidias, quibus nisi per ipsorum mortem remedium invenire non possumus. Speciales causæ, per quas annonæ caritas introducitur, ex innumeris potissimum duæ eminent in præsentì considerandæ. 1. Venditio frumenti vel intempestiva, vel injusta, 2. ejusdem attentata coemptio nimia à privatis facta. Monopolium redolens *vid. cap. 3.* Ad primam refero (1.) exportationem ac venditionem frumenti ad quosvis. *vid. Marquard. de Jure Mercatura pag. 526. num. 41.* (2.) venditionem frumenti immaturi (3.) venditionem frumenti sine justâ mensurâ, *vid. infra. num. 85.* & (4.) venditionem frumenti sine justo pretio, *vid. cap. 3. n. 1. seq.* Exportationem avertet princeps tùm privativè, coemendo publicè abundantem frumenti copiam, tùm positivè, legem de prohibitâ ejus exportatione statuendo. *vid. infra. n. 44.* Ut à priori incipiamus, nescio an in ullâ Rep. melius circa hanc rem dispositum fuerit, quàm in Romanâ. Ibi enim non solum horrea publica extructa, sed & varia magistratuum, qui rei annariæ curam gerebant, genera ordinata deprehendes, *vid. inf. n. 33.* Huc spectant *tot. tit. Cod. de Annona præfectis, de Annona militaris erogatione, de Annonis Civilibus, de Annonis & Capitatione administrantium vel eorum Assessorum, de Annonis & Tributis, de Annonarum militarium excoctione & translatione, de Apparitoribus præfecti annonæ, de Cavone frumentario Urbis Romæ, de Conditis in publicis horreis, de Frumenti coemendi curâ & prohibitione, de Frumento Alexandrino, de Frumento Urbis Constantinopolitane &c.* Tractarunt etiam hanc materiam Bulenger. *de Vexigal. pop. Rom. cap. 9. per integr.* item Dn. Siruvius in *Disp. de annonâ, Jene an. 53. habitâ, & popularis meus Polycarpus Marci in Disput. de conditis in publicis horreis quàm sub præsidio Dn. Tesmari, Marpurgi an. 75. habuit*, ex quibus summâ brevitate, quod ad rem præsentem pertinebit, exponemus. Horrea itaque nihil aliud

aliud erant, quàm ædificia publica ad variarum rerum, quæ ad annonam spectabant, curam destinata *Vid. Gottofr. in not. ad Cod. Theod. T. 4. p. 102. Perez. ad tit. Cod. de Condit. in publ. horr. n. 1. § 2.* qualia non tantum in veteri Româ, sed & Constantinopoli frequentia fuisse, argumento est. *l. 1. C. de frum. Urb. Constant. l. 2. C. de Annon. Civil.* eaq; extructa sunt munificentiam non solum imperatoriam, sed & privatam. Hinc æquè horrea Sejana ac Semproniana &c. memorant historici, 15. quàm Valentiniana aut Theodosiana. Erant & horrea Portuensis, in portu urbis Romæ extructa, ad condendum canonem urbis Romæ. *vid. Gottofred. ad Cod. Theod. Tom. 5. p. 262.* Per annonarias autem 16. species, quæ in istis horreis condi solebant, intellige eas, quæ ad victum humanum pertinent, & quibus vitam toleramus, quales sunt frumentum, panis, vinum, oleum, liquamen, id est, garum laridum &c. Hæ contradistinguebantur Capitibus, sive pabulis eorum, & Camelorum; quibus vehimus nos & sarcinas nostras. *Cujac. in append. 17. oper. ad tit. Cod. de annon. § capit. f. m. 604. ubi plura. Conf. Tholof. Synt. libr. 36. c. 30. n. 1.* Quandoq; tamen annona specificè pro pane usurpata fuit, ut in *l. 11. tit. 16. lib. 14. Cod. Theod. ibiq; Gottofred.* Petebantur 18. hæ annonæ tum ex prædiis & agris publicis. *l. 2. §. 1. C. de administr. rer. ad civit. pertin.* tum ex provinciis frumentariis, ita dictis, quod frumentum & reliquas species tributio loco Romanis dare cogerentur, ut Galliâ, Britanniam, Macedoniam, Siciliam, Sardiniam, Africam, Hispaniam & Germaniam, (maximè tamen ex Africâ. *vid. Demster. ad lib. 7. antiquit. Rosin. cap. 38.*) ex quibus frumentum divisione factâ in utramque Romam apportabatur. Et Africanum quidem partim ex totâ Ægypto 20. primùm Alexandriam *l. 6. C. de Navic.* mox Constantinopolin transferrebat, partim nautis dabatur, in usum urbis Romæ. Nautæ accepta in Africâ testimonia se incorruptas species suscepisse, Præfecto annonæ, si ad portum urbis Romæ pervenissent, exhibebant, ut is frumenta, an adhuc talia essent, inspiceret. *l. 1. C. de Can. frument. Urb. Rom.* & frumenta sibi data hoc modo Ostiam & inde in horrea portuensis deferebant, quæ postea ab Ostiâ Romam devehenda, navibus Caudicariis imponebantur, *Conf. inf. n. 41.* à quâ transvectione ut onere publico nemo, qui navem in Tiberi habebat, excusare se poterat *l. un. C. de naut. Tiberin.* Colligebant vero Romani annonam in hor- 21.

- rea potissimum idèd, ut eam postea rursus populo exhiberent, ac distribuerent; Hinc duplicis annonæ frequens mentio: civilis & militaris. Hæc ita appellata, quod militibus in expeditione degentibus præstaretur, de quâ præstatione *vid. l. 1. C. de erog. milit. ann.* & hujus respectu incumbere provincialibus onus eam ad castra transferendi & excoqvendi. *l. 2. & 4. C. de erog. milit. annon. l. 6. C. de annon. l. 8. & 9. C. eod.*
22. à quibus oneribus nemo excusabatur, ne ipsa quidem principis prædia patrimonialia. *l. 2. C. de excoct. & transl. milit. ann.* nec Ecclesiæ prædium, *l. 21. C. de curs. publ.* Exceptio tamen est, *in l. 1. C. de excoct. junct. l. 40. §. 3. ff. de V. S.* Civilis annona duplex erat, vel Civica, vel Popularis. Illa dicebatur, quæ Civilibus magistratibus eorumque officiis dabatur, quam magistratibus in suos usus æstimare, & pretium pro frumento accipere licebat, quæ æstimatio adærationis nomine venit. *l. 13. C. de erog. milit. ann. l. 4. C. de milit. veste* ejusque multa exempla occurrunt. *l. 1. C. de off. præf. præ. Africae.* Pertinent & huc annonæ Palatinæ de
23. quibus *l. 35. C. Theod. de erog. milit. ann.* item annonæ Professorum & Sophistarum. *l. 9. C. de Profess. & med.* quas accipiebant de horreis fiscalibus in frumento & oleo, notante Gottofr. *ad l. 11. Cod. Theod. de Profess. & med. & ad l. 11. Cod. Theod. de frument. urb. Constant.* Popularis annona, populo distribuebatur, quod primum à Manio Marcio ædili plebis factum esse refert Plinius *lib. 18. hist. nat. c. 3.* Ille enim primis Reip. temporibus frumentum populo singulis in modios assibus donavit. Postea lege Gracchi constitutum est, ut frumentum populo divideretur senis æris trientibus in singulos modios acceptis. P. autem Clodii rogationibus eò res devenit, ut gratis populo frumentum daretur, quod Imperator Augustus, ut plebem sibi devinceret, frequenter
24. observavit. Sveton. *in vitâ ejus c. 40. & 41.* Et hoc quidem cum tantâ diligentia & anxietate, ut cum aliquando horrea inviseret, viso in iis solummodo frumento pro trium dierum usu, veneno mori statuerit, si è provinciis classes interea non venissent, uti ex Svetonio & Diacono refert Buleng. *de Vêt. Pop. Rom. c. 9. pag. m. 30.* Atque ab istâ antiquâ origine, quâ frumentum populo tantum in annonæ caritate præbebatur, *vid. Contarenius de frument. Rom. larg. c. 1. seqq. Peller. Polit. sceler. c. 35. p. 188.* res eò devenit, ut populo non solum extrâ annonæ difficultatem frumentum, sed etiam loco frumenti panis præberetur, cujus
- initium

initium alii Aureliano, alii Alexandro Severo adscribunt, isque mos panes præbendi aded inolevit postea, ut Honorius & Theodosius Imp. expresse vetuerint frumentum populo dividi, & loco hujus panem dare jusserint, *l. 1. C. de frum. Urb. Constant.* Quod ideo constitu- 29.
tum, ne frumentum (quod plurimi suo & familiae suae cum damno facere solebant) alienaretur, ac pecunia inde accepta in alios usus converteretur. *vid. Gottofr. Cod. Theod. T. 5 p. 235.* In urbe Constantino- 30.
politanae annonas has instituit Constantinus M. datiq; initio panes iis, qui aedificia nova in dicta civitate extruebant. *Gottofr. d. l.* postea vero aequè inter populum, & quidem de gradibus (unde gradiles dicuntur. *l. 3. C. Theod. de frum. Urb. Constant.*) divisi sunt, distributis prius inter populum tesseras frumentariis, quarum mentio in *l. 52. §. 1. ff. de judic. l. 49. §. 1. l. 87. princ. de Leg. II. Nov. 88. c. 2.* Erant verò tesserae frumentariae 31.
certa signa ex ære confecta, quibus modus annonae atque percipientis nomen incisum erat. *l. 5. C. Theod. de annon. civil. & pan. grad.* eaque postea mensuris, & iis, qui annonam erogabant, exhibebantur. Ita 32.
autem distribui debebat frumenti annona docente, *l. 1. C. de condit. in publ. horreis*, ut primum frumentum vetus erogaretur, aut, si illud corruptum sit, cum novo misceretur, ut hujus adjectione corruptio velata damnum fisco non afferat.

Constituta præterea à Romanis sunt varia magistratuum & of- 33.
ficialium, qui curam rei annonariae haberent, genera, quorum alii in urbe erant, alii in provinciis. In urbe primis adhuc Reip. temporibus 34.
erant Aediles Cereales ordinati. *l. 2. §. 32. ff. de O. J.* postea tota res ad præfectum urbi rediit. *l. 1. C. de offic. præf. Urb.* qui habebat corporalem animadversionem in Patronos Caudicarios & horreorum Portuensium. *l. 9. C. Theod. de suscept.* curabatque ut horrea fiscalia inter privatos usus translata restituerentur, *l. 12. C. Theod. de horreis urb. Rom. & portus à privatis usurpatis.* Quamvis enim rei annonariae constitutus 35.
esset singularis perfectus, cum eo tamen curam communem habuit præfectus urbi *d. l. 1. C. de off. præf. Urb. Cujac. in append. op. ad tit. C. de off. præf. Urb. f. m. 578. a.* & præfectus annonae sub præfecto urbi erat, *d. l. 1. C. de off. præf. Urb.* in eo tamen remanente differentiâ, quod unusquisque suos separatos apparitores haberet. *l. 1. C. de apparit. præf. ann.* ubi constituit Imperator, ut cura rei annonariae non nisi per an-
nonae

- nonæ præfecti apparitores expediatur, cum Imperatori semper odiosæ
 36. sint confusiones officiorum. Ex quo colligunt Dd. eum, qui habet jurisdictionem generalem, non habere tamen cognitionem in iis rebus, quæ specialiter alterius curæ attributæ sunt. Brunnem, *ad d. l. i. C. de appar. præf. ann. n. 3. f. m. 1356.* Audiebat verò præfectus annonæ omnes
 37. privatas de re frumentariâ quæstiones. *l. ult. ff. quod cum eo, qui in al. potest. est.* tam civiles, quàm criminales de Dardanariis, qui annonam flagitabant, in quibus etiam ad accusandum mulieres admittebantur. Erant quoque sub ipsius curâ mensurarii & navicularii. *Vid. Cujac. in app. oper. ad tit. C. de offic. præf. ann. f. m. 590. conf. supr. à n. 20.* In provinciis Præsidis erat notio, de cuius officio. *vide l. 2. C. de cond. in publ. horreis.* Illarum verò annonarum, quas civicas diximus, erogatio ad præfectos prætorio pertinebat. *Zosim. lib. 2.* Aliquid etiam hujus curæ præfectum vigilum redundabat, qui nocturnos horreorum effractores coercebat. *l. 3. §. 1. ff. de offic. præf. vigil.* Fit & prætereà mentio Comitum horreorum in *l. un. C. de pistoribus.* Cura coemendi & distribuendi frumenti spectabat ad Sitonas *l. 2. ff. de vacat. mun.* vel sitocomas seu frumentarios. *l. 18. §. 5. ff. de muner. qui necessitatis præsertim tempore per provincias dimittebantur, ut coemerent frumentum, quod princeps populo vel exercitui distribuere volebat, hisque provinciales frumenta vendere eogebantur, sed illa tantum, quæ superflua habebant, non necessaria. l. 2. C. ut nem. liceat in coemt. & referebatur hæc cura inter*
 40. personalia munera. *l. 18. §. 5. & 8. ff. de muner. & honor.* Deprehenduntur & alii officiales in legibus Juris Romani circa annonam occupati, ut in *l. 6. ff. de Immun.* Librarii horreorum commemorantur, qui ad id videntur constituti, ut ea, quæ in horreis reponerentur, notarent &
 41. scriberent. Erant & mensores, qui advecta frumenta admetiebantur in horrea portuensia, & inde iterum ad mensuram appendebant, quando à Caudicariis Romam essent deferenda, qui Zygothasi appellabantur, quorum mentio fit. *in l. 26. ff. de excusat. vid. supr. n. 20.* Ad Romanorum itaq; exemplum bonus ac sapiens Princeps & horrea publica extrui curabit, & magistratûs, qui eorum curam habeant, iis præponet, quorum officium latè exponit Perez. *in Cod. ad tit. de cond. in publ. horreis. num. 10. seqq.* De utroq; in Imperio nostro prudenter prospere
 43. cum reperitur in *Recesf. Imper. de anno 1641. §. Anreichen die Auffrich,*

richtung gewisser Magazin- und Proviant-Häuser / *Et de anno 1666.*
s. Und aber wir hiebevorn mit einem tauglichen / tapffern und verständig-
 digen Oberst-Proviantmeister gefast ic. & in urbe patriâ, Lipsiâ, non
 solum tale ædificium publicum (das Kornhaus /) extractum est, sed
 officiales præterea varii (Kornschreiber / Kornmesser /) qui rei frum-
 entariæ curam habeant, constituti sunt.

Dixi *n. 18.* principem porrò exportationi frumentariæ ad quos-44.
 vis obicem ponere posse, si legem, quâ eandem prohibeat, civibus suis
 promulget, quæ præceptum maximè ad avertendam annonæ carita-
 tem facere docet Marquard. *lib. 4. de mercat. c. 7. num. 41.* Ubi initio
 quaritur: An & Magistratus municipalis statutum de non exportan-45.
 do frumento concedere possit? Quod omnino affirmandum videtur,
 quoniam, dum princeps ipsi potestatem disponendi de rebus ad com-
 munem municipii utilitatem spectantibus concessit, etiam de hoc
 statuto condendo, quatenus per id publica utilitas procuratur, pote-
 statem dedisse videtur. Ampliamus dicta, ut tale statutum ne quidem46.
 expressâ principis approbatione opus habeat, quia administrationem
 bonorum communium, non verò decisionem causarum forensium
 concernit. B. Brunne man. *Repetit. Paratit. Wesenb. ad tit. de LL. qu. 6.*
Et in comm. ad L. 9. ff. de J. & J. n. 2. Conf. Hecht. Capyc. Latro consult.
67. n. 7. & 8.

Quicquid hujus sit, sive princeps, sive alius quidam magistratus47.
 similem legem ferat, an ea justa sit & obliget? porrò disquiritur, Pro
 negativâ illud affertur, quod per eam videatur fraus fieri Juri gentium,
 juxta quod commerciorum usus liber esse debet. At per hanc prohi-
 bitionem monopolium quoddam injustum induci, adeoque & tale
 statutum justitiâ destitui. Respondet ad hanc objectionem Knichen.48.
de Jure subl. territ. c. 4. n. 364. seqq. procedere dictâ de libertate com-
 merciorum, quod nimirum venditionem ac emtionem rerum vena-
 lium turbare non debeamus, si abundantia rerum dominetur, non
 verò si penuriâ earum laboremus, &c. Quæ responsio ad magistra-49.
 tum municipalem accommodata tolerari forte posset. Hic enim non
 pro lubitu potestatem statuta condendi à principe accepisse præsumi-
 tur, sed pro utilitate tantum municipii, quæ non videtur urgere talem
 legem, si abundantia frumenti adsit. Quamvis & hoc in casu dicere

- possis, prudentis magistratus esse, ut utilitati civitatis suæ, non tantum de præfenti, sed & in futurum per hoc statutum prospiciat. At quod
50. principem concernit, certè ex aliis principiis hæc lis dirimenda esse videtur. Princeps enim similem exportationem etiam in maximè abundanti frumenti copiâ justè prohibere poterit. Quæmodum enim cuilibet liberum est statuere, quid acquirere velit vel non, adeoq;
51. ego tertium cogere non possum, ut res meas emat, quibus ego abundo & ipse iis opus habet; *vid. Grot. de Jure B. & P. lib. 2. cap. 2. §. 20.* (cujus §. sensum non commode videtur percepisse Dn. Simon. *in notis ad eund.*) ita ex naturâ reatorum nec alter me adigere poterit, ut ipsi res meas, quibus ipse indiget, ego verò abundo, vendam, *vid. Magnif. Dn. Ziegl. in not. ad d. Grot. cap. §. 19. Conf. Henniges ibid.* qui & ipse prohibitionem venditionis frumentariæ ad tempus penuriæ cum Grotio restringit) sed, cum quilibet sit justus rerum suarum moderator & arbiter; & in hoc casu potestas mihi relinquetur, statuendi, quid ex
52. abundantia meâ alteri vendere velim vel non. Quod si itaq; princeps extraneum ad emendum sibi frumentum nolit admittere, nequaquam per hoc injuria ipsum afficiet, ob quam, si & alter summa potestate polleat, bellum deneganti frumentum inferre possit, quod videtur voluisse Grotius *d. l. §. 19.* Quamvis enim Jus naturæ me obliget, ut alteri indigenti opem feram ex abundantia meâ, tamen 1. & obligatio hæc imperfecta est (quæ uti in foro civili non parit actionem, ita nec in foro Gentium eadem non adimpleta, bellum mihi permittit) & 2. alteri potestas non danda est, ut ipse sibi potestatem sumat judicandi, quid ex rebus meis abundans sit, quid necessarium; & deniq; 3. non præsumitur tanta esse tertii indigentia, cum commercia ubivis pateant, ut aliunde
54. facile sibi id, quod à me petit, frumentum comparare possit. Quod ergo de turbatâ commerciorum libertate *num. 47.* opponebatur, huc non quadrat, cum nemo ex isto Juris Gentium capite, quod libertatem commerciorum commendat, ita obligetur, ut cuivis id desideranti res suas vendat, aut alterum res proprias vendere volentem intrâ suam civitatem admittat, sed ad hoc tantum, ut commercia in universum non prohibeat. *Vide quæ eleganter circa hanc materiam adduxit Magnif. Dn. Ziegler. in Dissert. de Jure Commerciorum. §. 22. & 23.* Monopolium autem, quamvis fortè per talem legem inducatur, tamen
55. nec

nec omne monopolium illicitum est, nec hoc inter illicita referri poterit.

Vendicatâ hoc modo legis ejusmodi prohibitivæ justitiâ, circa 56. explicationem ejusdem variæ se offerunt quæstiones, commodius infra, ubi de delictis circa frumentum agemus, pertractandæ. Unicam tantum in præsentî ventilabimus: Quod si lex vel statutum exportationem frumenti sub pœnâ prohibeat, quid nomine frumenti comprehendatur? Quæ quidem quæstio variis modis ap. autores agitata deprehenditur.

Maximalis est de *farinâ*, an illius extractio in simili, lege prohi- 57. bita censeatur vel non? Dubitandi pro negativâ ratio potissima affertur, quod statuti verba propriè & strictè sint accipienda, præprimis si versemur in materiâ odiosâ, qualis præsens omninò esse videtur, dum & libertas ante hanc prohibitionem pro lubitu frumentum vendendi & emendi, per hanc legem restringatur, & simul pœna contravenientibus irrogetur. Jam verò & libertatis restrictio & pœnarum materia odiosa est, & hinc frumentum, utpote sub cujus voce non continetur farina, ad farinam extendi nequaquam poterit. Verum hoc non 58. obstante affirmativa quæstionis nobis arridet cum Surdo *decif. 139.* Marquardo *de jure mercaturæ lib. 2. cap. 1. n. 37.* Ripâ *de peste cap. 5. n. 45. & seqq. ac* Heët. *Capyc. Latrone cons. 158. n. 24. seqq.* quamvis non in omnibus putemus dictis autoribus ad hærendum esse. Illi enim pro- 59. defendendâ affirmativâ eâ præprimis ratione utuntur, quod sub frumenti nomine & farina veniat, ut quæ non videatur nova species à frumento, sed latitaverit solum antea sub frumento, & postea ope molæ sit detecta, *l. 7. §. 7. ff. de acquir. R. D.* Adducunt porro hanc in rem textum. *l. 70. ff. de leg. 3.* ubi lanæ appellatione continetur lana 60. filata, quæ semper lana dicitur donec ponatur in telâ, cujus argumento putant & frumentum tamdiu nomine frumenti venire, donec convertatur in panem. Addunt ultimò: etiamsi frumentum & farina non sint 61. eadem per omnia, utriusq; tamen eandem esse *gravi*, *arg. l. 9. §. fin. & l. seqq. ff. de contrab. emt.* ubi vini & aceti dicitur eadem propè esse *gravi* sive substantia, modò vinum acuerit. Sed non placet hæc opinio. 62. Frumentum enim & farinam specie differre, infra, ubi de modis acquirendi dominium agemus, ostendetur, ubi simul & ad *d. l. 7. & ad d. l. 70.*

63. respondebimus. Quale autem ex *d. l. 9. de contrab. emt.* argumentum duci possit, non video. Nam etsi diem, frumenti & farinae certo respectu eandem esse *glav*, quatenus nimirum materiam farinae frumentum suppeditavit, tamen exinde inferre velle, frumenti vocem farinam comprehendere, simile esset, ac si diceres: Uvarum nomine venire etiam mustum, quia mustum ex uvis confectum est. At hoc posterius jus nostrum non admittit, *arg. d. l. 7. §. 7. ff. de A. R. D.* siquidem appellatione materiae non continetur materiaturum, quod ad materiam
64. reverti non potest. *l. 78. §. 4. ff. de leg. 3. ibiq.* Florianus de S. Petro. Ut taceam nec de vino in acetum converso, de quo loquitur, *d. l. 9. de contrab. emt.* ad farinam è frumento paratam, firmam duci posse consequentiam, cum inter hæc duo maximam esse disparitatem ex eo liquidum sit, quod vinum si acuat, id ex vitio quodam naturæ sine industriâ hominis accidat, unde vel ex hæc ratione acetum istud non videtur esse nova species à vino. At farina non nisi ope humanâ è frumento
66. conficitur; Et ergo ab isto ad hanc argumentari non poteris. Misso itaq; hoc responsionis medio, quo Surdus & asseclæ usi sunt, circa propositam de farinae quæstionem ita dicendum videtur: Vi verborum equeidem in dicto casu non intelligi prohibitam exportationem farinae, rationem tamen & mentem statuentium fuisse ut providerent, ne annonæ caritas ex frumenti exportatione proveniat; quæ ratio cum etiam in exportatione farinae locum sibi vindicet, meritò statutum tale ad exportationes farinae extendi poterit, *vid. Rip. d. l. n. 47. Conf. Grotius de Jur. B. & P. lib. 2. c. 16. §. 20. sect. 2.* Pro quâ sententiâ ulterius confirmandâ conducit apprimè communis Dd. opinio, quâ concludunt: In Statutis si prohibita sit venditio materiae, materiaturum etiam vendi non posse; atque hinc si extractio v. gr. lignorum prohibeatur, & de navibus ac triremibus idem dicendum esse. *vid. Heët. Capyc. Latro*
68. *d. l. n. 30. 31. 40. seqq.* Jam quod principium istud supra *num. 57.* nobis oppositum concernit: Statuta non recipere interpretationem extensivam, illud ex falsâ hypothesi videtur promanasse, quasi scilicet omne statutum, præprimis Jus commune restringens vel corrigens, odiosum sit, & propterea, juxta regulam communem, restringendum. Defendunt hanc sententiam post alios Gailius, 2. *Obs. 33. maximè n. 9. & 10.* & Hartm. Pistor. *lib. 1. qu. 16. n. 18.* statuentes: In Statutis à Jure communi
- 69.

recedentibus verba potissimum respicienda esse, & ab iis ne latum quidem unquam recedendum, eademque aliquando quidem, si absurdum verba crudè accepta premat, restringi, non verò unquam extendi posse, quamvis identitas rationis adsit. Sed ad hæc sciendum, non omnem 70. Juris communis correctionem pro odiosâ habendam esse, quoniam princeps, aut iste cui potestas hæc à principe concessa, ut plurimum in istâ correctione æquitatem aut præsentem Reip. utilitatem, quæ pro diversitate temporum maximè variare solet, præ oculis habeant. Ex 71. hæc itaq; ratione statuta talia magis favorabilibus quàm odiosis erunt annumeranda, & propterea recensita opinio de statutorum restrictivâ interpretatione pluribus displicuit, prout videre est ap. Ripam, & Latronem *d.d.l.l. quibus adde & Baldum tract. de Statutis sub voce: Interpretatio f. m. 934.* & Treutl. *Vol. 1. Diss. 1. th. 10. lit. E.* ubi non malè asserit, regulariter in Statutis interpretandis idem quod in Legibus esse faciendum; hoc est: Pro diversitate rationis interpretationem quàm extensivam quàm restrictivam iis accommodari posse. Malè tamen idem 72. Treutlerus nec sibi ipsi satis constans in seqq. pronunciat: Dicitur axioma: Statuta strictè esse interpretanda in Statutis Jure communi derogantibus admittendum esse. Longè enim ex aliis circumstantiis desumendum est, quàm ex derogatione, si sensum legis aut Statutis restringere velis. *Vid. Hahn. ad Wesenb. tit. de LL. n. 8. Grotius d.l. 2. c. 16. §. 22.* Restant alia duo capita, explicationi nostræ suprà num. 57. ob 73. jecta, de restrictione libertatis unum, alterum quod præsens statutum pœnale sit. Ubi quidem non nego communissimè in interpretatione legum illud occurrere: Favorabilia esse extendenda, odiosa restringenda, & inter odiosa quoque pœnas & libertatis restrictionem referri. *Conf. Grotium d.l. §. 10.* Sed certum tamen est, plerasque leges mixtam cau 74. sam in se continere, hoc est uno respectu favorabiles esse, alio odiosas. In quarum explicatione cum impossibile sit extensivam & restrictivam explicationem simul locum invenire, operam dabit cautus interpres, ut probè aspiciat, an in istâ lege favor odium vincat, an verò ab eo vincatur, ac priori modo legem extendat, posteriori vero eandem restringat. Quibus præsuppositis dico: Libertatis equi 75. dem restrictionem odiosam esse, ac simile de pœnis certo modo concedi posse. Quoniam tamen hæc libertatis limitatio ac pœnæ impo-

sitio informato casu simul publicam utilitatem concernit, cui privatum interesse cedere semper debet; patet: plus favoris quam odii statutum præfens continere, & per consequens rectè frumenti vocem ex
 76. identitate rationis ad farinam fuisse extensam. Illud obiter addo, si concedamus, leges poenam secum trahentes strictè explicandas esse & inter odiosa referendas, illud absurdum exindè sequi, nullam legem propriè dictam interpretationem extensivam admittere, cum omnis lex perfecta poenam secum ducat sive expressam, sive arbitrio iudicis relictam.

77. Decidi nunc facilè ex dictis altera quæstio poterit: An frumenti exportatione prohibitâ 2. *panem* exportare liceat? quod similiter cum Surdo *d. decis. 139.* & Ripâ *d. l. n. 52.* negamus, cum & hic identitas rationis *n. 66.* exposita militet, & maxima fraus statuto fieri possit si panis exportatio permittatur. *arg. l. 30. ff. de LL.*

78. Sed an licebit 3. *hordeum, avenam & speltam* exportare? Conjungit has tres frumenti species Ripâ. *d. l. n. 75.* dicitque eas in statuto non contineri, quàmvis aliàs nomine frumenti veniam, quia frumentum in strictâ acceptione iisdem contradistingvatur. *l. 9. C. de suscept. præposit. lib. 10. conf. supra cap. 1. n. 87.* strictum verò significatum esse communem, & propterea statutum istud juxtâ communem loquendi usum intelligendum esse. Idem quoad hordeum sentit. Nicol. Rodrig. Fermosinus, Jctus Hispanus, *tract. 2. Crim. ad cap. quod olim. 12. X. de*

79. *Jud. qv. 1. n. 14. p. m. 66.* At, si penitius rem intuearis, & quæstionem hanc tam ex verbis statuti, quàm ex mente auctoris terminare velis, contrarium videtur verius. Verba enim quod concernit, non possumus Ripæ & illis, quos ipse secutus est, Imolæ Alexandro &c. concedere postulatum illud, frumenti acceptionem strictiorem esse magis communem ac propriam. Reclamant enim & *l. 77. de V. S.* & quotidiana experientia, juxtâ quas vox frumenti des *Getreydes und der Kornfrucht* te æqvè de avenâ, hordeo, ac speltâ quàm tritico fortè vel secali prædicatur. Inverto ergo decisionem Ripæ & infero: Hordeum, avena & spelta comprehenduntur in statuto, quia juxtâ communem loquendi
 80. di usum fructuum species sunt. Mentem Legislatoris si aspicias, quàm *suprà n. 66.* asserui illam fuisse, ut annonæ caritatem evitaret, pro Ripæ opinione etiam afferri illud posset, nos ad panem coquendum aut victum

Etum humanum his frumenti generibus uti non solere, sed solum ad pabula eqvorum, camelorum &c. At hoc esse contra descriptionem annonæ n. 16. exhibitam. Verum negamus hoc assertum. Nam ex hor- 81.
deo panem coqui solere exemplum Christi panes quinque hordeaceos populo distribuentis abundè docet. Deinde victus humanus, & annona non solum in pane consistit, sed & in aliis rebus, vino v.g. aut oleo, quæ certè panis non sunt. Similiter itaque & dictæ frumentorum species ad pultem aut cerevisiam coqvendam adhibentur. Vid. Stuck. *antiquit. conviv. l. 2. f. m. 166. b. conf. supra c. 1. n. 119. 120.* & per consequens, si ipsarum exportatio admittatur, facillè per hoc factum annona gravari poterit, quod contra mentem statuentium erat.

Mover hæc ultima ratio, ut 4. *milium, panicum & oryzam cap. 1. n. 95. & 100.* inter frumenta à nobis relata statuto contineri arbitrer, quàmvis non soleamus ex his speciebus panem præparare (conf. tamen quæ de panico affert Stuck. *d. l.*) nisi fortè quis eadem ex eo capite rejicere velit, quod hæc species non juxta communem loqvendi usum, (secundum quem frumentum absolute positum, pro analogato hujus generis nobiliori, & eo quod aristam habet. *vid. cap. 1. n. 102.* accipitur) sub frumenti, des *Getrendes* nomine venire, & inde Legislatorem de significato vero quidem, sed eruditus solum proprio, probabiliter non cogitasse contendat. Ubi quidem interpretationi Authentica hæc litem dirimendam relinquo.

Ultimò & 5. an dictum statutum de *leguminum* exportatione intelligi debeat? quæritur: Negamus cum Ripà & Ferosino *d. d. l. l.* tum 83.
quod frumenti appellatione legumina non contineantur *l. 77. de V. S.* tum quod eorum usus primarius in pabulis bestiarum consistat; quæ rationes tamen à se non erunt separandæ. Illud obiter noto, non rectè eundem Ripam *d. l. n. 55.* asserere; quod in eo statuto, quod *tritici* 84.
exportationem prohibet, *legumina* contineantur, quia *tritici* vox legumina sub se comprehendat. Notatus quippe jam hic Ripæ error à Wissenbachio est. *ad l. 77. de V. S. th. 10. & supra cap. 1. n. 91. 92.* de hæc materiâ jam diximus.

Sufficiant hæc de exportatione. II. De Venditione frumento- 85.
rum immaturorum *vid. n. 9.* quæ aliàs venditio in herbâ appellatur commodius in materiâ contractuum de frumento celebrari solitorum
age-

agemus. Circa III. & si nimirum frumenta sine iustâ mensurâ vendantur, consideranda potissimum erit qualitas poenæ delinquentibus ex hóc capite debita, quam infra, ubi in delictorum explicatione erimus occupati, fusius persequemur. Restat itaq; IV. Venditio frumenti ex injusto pretio, à quâ (ne in immensum hoc caput crescat) sequens Caput III. & Disputationem II. B. C. D. exordiemur, cui interim

SIT LAUS ET GLORIA.

